# DE COLONIA IN INSULAM DELPHINAM

VULGO

# MADAGASCAR

## A BARONE M.-A. DE BENYOWSZKY DEDUCTA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

PROSPER CULTRU

EJUSDEM FACULTATIS NUPER ALUMNUS

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MCMI

DE COLONIA IN INSULAM DELPHINAM

VULGO

# MADAGASCAR

A BARONE M.-A. DE BENYOWSZKY DEDUCTA

# DE COLONIA IN INSULAM DELPHINAM

VULGO

# MADAGASCAR

## A BARONE M.-A. DE BENYOWSZKY DEDUCTA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

PROSPER CULTRU

EJUSDEM FACULTATIS NUPER ALUMNUS



PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MCMI

DOCTISSIMO VIRO

EDUARDO MARTY

QUEM

BENEVOLUM ET AMICUM

EXPERTUS SUM

HOC OPUSCULUM GRATUS DICABAM

PROSPER CULTRU

# PRÆFATIO

Exstant Commentarii sub nomine Baronis de Benyowszky editi, in quibus vita ejus miris narrationibus adornatur : referunt enim eum, cum in insulam Delphinam (vulgo Madagascar) a Francorum Rege missus esset ut coloniam conderet, invidiâ prohibitum esse ne totam insulam sub imperium redigeret : ab indigenis tamen Regem esse appellatum et cum post aliquot annos in regnum suum reverteretur pugnantem cum Francis injustè occubuisse. Quid veri sit in eâ narratione ex chartis et testimoniis inquirere in animo est.

# DE COLONIA IN INSULAM DELPHINAM

VULGO

# MADAGASCAR

A BARONE M.-A. DE BENYOWSZKY DEDUCTA

---

## CAPUT I

### DE BARONE DE BENYOWSZKY ET DE EJUS IN FRANCIAM ADVENTU

Mauritius-Augustus Aladar de Benyowszky nobili e stirpe magnatum in Hungariâ, anno MDCCXLI°, originem duxit[1]. Proavus ejus cum ex Poloniâ in Transilvaniam, hortante Imperatore, migrâsset, favore principis et opibus familiam suam amplificavit, pater autem in equitatu primum obtinuit ordinem, ipse quatuordecim annos natus bello aliquandiù interfuit, quo bello Borussorum rex reginam Theresiam iterum est adortus. His vero temporibus cum inter eum et præfectum alæ [2] nescio quæ discordia orta esset,

(1) Pasfield Oliver in Prologo editionis Commentariorum eum natum esse anno MDCCXLVI° ex publicis baptismatum Verbowæ tabulis affirmat.

(2) Gallicè, *colonel*.

in Transilvaniam rediit, ut, cessantibus armis, studiis indulgeret quibus tunc mos erat nobilium ingenia colere. Paulo post Gallos adiisse fertur et Luteliæ unum annum vixisse, sæpiùs autem invisisse Viennensem aulam Albertumque principem inter Saxones sibi ità conciliasse ut familiaris hujus merito appellaretur (1). Multa in Commentariis sub ejus nomine editis, mira quidem, enarrantur : eum cum fratribus de patriâ hereditate armis contendisse, et sententiâ Imperatricis damnatum in Poloniam aufugisse et variis itineribus Anglorum et Batavorum regna perlustravisse, ad Indos denique migraturum fuisse, nisi, Poloniæ rebus revolutis, ab incepto aversus esset (2). Comitiorum Polonorum particeps fuit, cum electus est ultimus infelicissimæ hujus reipublicæ rector Stanislaus, et post aliquot annos, partibus iisdem fidem servans quas antehac secutus erat, Confœderationi adjunctus est adversùs Regem congregatæ. Cujus cum causam non parvâ equitum manu defenderet, et plurimis præliis victor evasisset, multitudine tandem hostium coactus, ad fines Valachiæ, in castellum quoddam, non bene munitum, cum suis confugit. Ibi vero, a Russorum copiis necnon Poloni ipsius Regis prævalidâ cohorte simul debellatur, et tribus vulneribus acceptis, capitur. Quem Kiovam, quâdam prius custodum veneratione perductum, mox fugitivum et incredibili audaciâ in ipsâ Russorum principali urbe conjurationes ineuntem, mutatâ for-

(1) Col. Corr. Madag. C5 3. Lettre du chevalier Desroches au ministre, 20 mars 1772.

(2) Habemus vero indicem stipendiorum manu propriâ a Barone anno 1778 descriptum in quo se apud Austriacos militâsse ab anno 1756 ad annum 1762 refert et posteà semper in Poloniæ regali equitatu (C5 8).

tunâ, compedibus ferreis vinctum, Russi ultrà fines Siberiæ transvexerunt, et, peracto duodecim mensium itinere, in remotissimas imperii ad Orientem regiones exsulem projecerunt [1]. Quis tam audax, tam æneì pectoris esset qui vastâ solitudine quasi muro septus iter per inexplorata maria et inhumanas gentes ad liberam oram tendere, captivus ipse cum captivis institueret?

Quibuscumque insidiis et periculis et cædibus carcerem perfregit, id incertum non est, eum cum nave unà et fugitivorum manu præcipuè Polonorum in Sinensem portum Macao appulisse, quo in loco Francigenæ præpositi, id est consulis, tutamen petivit, se suosque Christianissimi Regis defensioni committens.

Cum in navigatione multas insulas et littora Orientalis Oceani primus perspexisset, Batavi et Britanni, qui hic commorabantur, sibi notiones novas acquirere cupientes, Baronem in naves suas inducere conati sunt, vexillis candidis ostentatis. Ille vero, qui ab equite de Robien, qui navigiis gallicis præerat, de signis quibusdam certior factus erat, insidias novit et mox cum omnibus suis comitibus, septem et quadraginta numero, gallicam classem conscendit, quà vectus sexto decimo die martii anno MDCCLXXII°, ad insulam Franciæ pervenit [2].

Erat tunc ille, testante huic insulæ Præfecto equite Desroches, vulneribus tot cæsus, ut facie deformis et gradu tardior, sanâ tamen valetudine videretur, comi vultu et acutis oculis : verbis non parcens, ità vero ut de quibus disserere

(1) C⁵ 3. Lettre du chevalier Desroches, 20 mars 1772.
(2) Ibidem.

nollet, non facilè loqueretur, ferocis satis animi et imperiosi, sed cum fidis benignissimi [1].

Iisdem navibus quibus e Sinâ venerat, in Europam cursum direxit, et mense Julio eodem anno in portum Lorientem delatus est [2]. Improvisam rem qui stationi huic præerat ad Legatum Regis rei navali præpositum statim per litteras proposuit; is autem, cum de Polonis et Hungaris ageretur, ad ducem de Aiguillon, qui cum gentibus externis res publicas administrabat, retulit, hujus interesse negotium reputans, hos advenas pecuniâ cæterisque rebus juvari, donec in patriam reduci possent [3]. Ducis igitur responsis paulo post imperatum est ut sumptibus provinciæ parva exsulum manus in Britanniâ hospitio exciperetur, habitatione quotidianoque commeatu usura, more eodem quo habetur regalis exercitus [4].

(1) Id., ibid.

(2) Col. Madag. C⁵ 3, de Boynes à d'Aiguillon. Versailles, 30 juin 1772.

(3) Navis quâ Benyowszky vehebatur, nomine *Laverdy*, paulo tardior erat; adventum ejus nuntiavit celerior *Delphinus*, extremo mense junio.

(4) C⁵ 3. D'Aiguillon à de Boynes. Compiègne, 9 juillet 1772.

# CAPUT II

## QUID DE INSULA DELPHINA CONSULTUM FUERIT

---

Dum hæc geruntur, nec in hoc loco regales legati quidquam aliud cogitant, nisi quod Hungariæ Reginæ subjecti subleventur, quæ tum Regi nostro fœdere conjuncta erat, epistolas ad eos baro Mauritius, statim e nave egressus, præmisit, quibus, ut ipse ait, *omnigenam fatorum suorum informationem præstitit et secretas rem maritimam concernentes notiones obtulit* [1]. Ipse, dum commilitones Loriente morantur, Compendium venit, quo in loco tum dux de Aiguillon æstiva habebat, ab eoque eo benignius receptus est quod non omnino incognitum nomen ferret. Ejus enim avunculus, eques Benyowszky de Benyo, arci cuidam in Lotharingiâ sitæ, gallicè *Bar-le-Duc,* præerat [2] : cujus ope et auxilio uxorem suam per nuntium Baro arcessivit, quam,

(1) Col. Mad. C⁵ 3. Benyowszky au ministre de la marine. — Datum in insulâ Mauritii, 19° martii 1772 : Excellentissime ac illustrissime comes et legate, Domine, Domine mihi gratiosissime, etc., etc.

(2) *Voy. et Mém. de Benyowszky,* II, p. 208. — Col. Mad. C⁵ 3, Epist. equitis Benyowszky de Benyo, novembri et decembri mense 1772, cum responsis comitis de Boynes.

priusquam caperetur, in Poloniâ duxerat, satis fortem animo, quippe quæ maritum sequi in insulam Delphinam esset ausura.

Intereà regali ministro communicavit quæ eum longa per inexploratos sinus et insularum orientalium secretos recessus navigatio docuerat, et, si Commentariis ejus fidem adhibemus, in insulam dictam *Formose* coloniæ deducendæ consilium proposuit [1] : quod quidem difficillimum visum est, et, quod gallicæ coloniæ in hâc orbis parte non essent, minus utile. Iisdem in commentariis refertur, medio circiter mense septembri, a ministro excogitatum esse novum et multo insignius de totâ insulâ Delphinâ debellandâ consilium, cui Rex maxime studeret, ad quod exsequendum ducenti et mille milites Baroni offerrentur et subsidia omnia ex vicinis Gallorum coloniis essent præstanda; quæ quidem ab ipso ad mediocres sumptus, ut principiis conveniret, et ad trecentorum militum numerum fuisse reducta Commentariis confirmatur.

Hæc autem dicta mendaciunculis, quod in Commentariis minimè mirum, aspersa, et ultra modum scriptoris personam adornatam esse testimonia permulta demonstrant.

Quæ fuerit causa Poloni hujus hospitis in insulam Delphinam mittendi ex relatione et epistolâ in ipsius comitis de Boynes scriniis paratâ dilucidè novimus. Extremo mense decembri 1772 ad ministrum relatum est Regis interesse hospitem Polonum sibi conciliare ne illa quæ ex navigatione cognovisset ad externas nationes deferret; quamobrem legio-

(1) *Mém. de Benyowszky*, II, p. 212.

nem levis armaturæ deligendam esse, nomine Voluntariorum de Benyowszky, quæ, sine discrimine locorum in omnibus stationibus militaret ultra promontorium Bonæ Spei sitis : primum inter hanc et alias cohortes virtutis bellicæ et constantiæ simultatem futuram ; sed potiùs hâc esse utendum in persequendo consilio quod jamdiù de insulâ Delphinâ conceptum esset. Ex eâ enim insulâ, veteri consuetudine, boum et oryzæ commercio a vicinis colonis nostris commeatus quærebantur, variorum utensilium commutatione. Cum autem pecuniæ pretium indigenæ melius novissent et utensilia contemnere cœpissent, statio nova in veteri Castello Delphini (*gallicè* Fort-Dauphin) sub comite de Modave fuerat instituta, anno 1766, quâ paulo post revocatâ, infectum opus relinquebatur [1]. Quoniam tunc dominandi cupido averterat a nobis indigenas, melius videbatur religione et bonis moribus eos pellicere, ut tandem nostras merces desiderarent et mercandi mos vetus restitueretur. Huic consilio perficiendo aptissimus esse Baro credebatur, qui, feris gentibus assuetus, animi benignitatem tamen retinuerat ; ceterum hoc tempore tali ingenio uti aliter non dabatur, et modico sumptu milites in novâ statione erant alendi. Quo vero in loco illa esset instituenda si quæreretur, in sinu dicto Antongil aliquid experiendum erat, quæ regio nondum tentata erat [2]. Sequebatur de novâ legione deligenda propositio.

Ex his manifestum est nihil nisi stationem mercatoriam

(1) Col. Mad. $C^5$ 3. — Rapport au ministre sur l'expédition de Madagascar, 30 déc. 1772.
(2) Col. Madag. $C^5$ 3. Rapport au ministre, du 30 déc. 1772.

esse a ministro provisum, quâ insulæ Franciæ commeatus facilius suppeditarentur.

Tantum abfuit ut minister indigenas debellare et sub Regis potestatem redigere vellet, ut peculiari epistolâ ad Baronem expressè significaverit eum esse a Rege electum ad condendam in insulâ Delphinâ stationem, unde Franciæ insulæ coloni victu juvari possent, res cum præfecto et procuratore ejusdem insulæ omnes ab eo tractari oportere, non tamen omissis, quas sibi minister requireret, rationibus et litteris (1). Inferioris ordinis igitur esse Baro videtur, si cum iis comparetur. Id quoque notandum est ei peculiariter jussum esse nihil, sed tantummodo exemplar unum datum esse mandatorum quæ ad præfectum et procuratorem in insulam Franciæ præmittenda essent. Ipse, cum posteà de rebus gestis anquireretur, negavit se ullum aliud mandatum habuisse, nisi exemplar illud. Quapropter ex epistolâ eâ, mense martio 1773 datâ, quid cogitaverit minister fidissimè cognoscere licet.

Ergo, factâ primum infelicis coloniæ memoriâ a comite de Modave recenter deductæ, quam ob nimios sumptus et quia eam indigenæ ægrè patiebantur, fuisse revocatam confirmat, nunc stationem monet esse condendam, ut commercio cum habitantibus inito, a cupidine nummorum averti possint : quod si prudentissimè huic stationi qui præficeretur ageret, procedente tempore, fore ut, propositi prioris memores, coloniam comitis de Modave Galli imitarentur; intereà justo commercio provideretur : hoc satis

(1) Ibid. Lettre de Boynes à Benyowszky, 19 mars 1773.

esse. Cum igitur ad hoc perficiendum Rex baronem Benyowszky delegisset, quo in situ vellet considendi licentia dabatur, excepto Castello Delphini, propterea quod locus aridior esset : si vellet, ad portum dictum *Tamatave* appelleret, qui portus laudaretur a permultis propter incolarum comitatem, solum fecundum et omnium rerum copiam. Explorandis littoribus apta navicula Baroni comparabatur et in legione summâ curâ delectos habebat valido corpore viros, plerosque opifices, ita ut in genere laborum quocumque nunquam impediretur.

Nihil vero procuratori imperabatur nisi quod rationalem (gallicè *ordonnateur*), tabularium (gallicè *trésorier*) et conservatorem horreorum vel dispensatorem (gallicè *garde-magasin*) et presbyterum destinaret, militibus arma et stipendium sex mensibus, commeatus tribus tantum præstaret, cum variis mercibus commercio ineundo utilibus; ne quis mercatum iret, quem in locum Baro elegisset præcipiebatur, quo facilius ab incolis obtineret quæ usui forent insulis; ut sic, emendo atque vendendo prior commercii mos restitueretur, et abundantiùs, ut antea, coloni viverent, neque extranearum coloniarum auxiliis indigerent (1).

Hoc scripto non edicebatur utrum baro Mauritius præfectis insularum obnoxius esset, necne, neque satis dilucide utrum perpetuis subsidiis colonia nova esset juvanda, an tantummodo per aliquot menses sublevanda, posthac de suo viveret. Inde ortæ sunt sine morâ controversiæ, cum Baro quidem se jure imperare crederet, præfectus

(1) Col. Mad. C5 3, de Boynes à de Ternay et Maillart-Dumesle, 19 mars 1773.

autem et procurator cui præcipuè cura ministrandi omnia incumberet, nihil ultrà justum præceptum præbere vellent, extra dominium suum coloniam novam esse arbitrati.

Inconsideratè factum est, cum in incertum insulæ duci ipsi ignotæ locum, incertis subsidiis, incerto jure et imperio, Polonus hospes mitteretur. Ubi fortissimi viri regionisque peritissimi comitis de Modave inceptum non successisset, ibi successurum esse advenam imprudentem quis arbitraretur, cui, cum e Franciâ proficisceretur, quid esset facturus ità parum compertum esset, ut post tres annos confiteretur semper se ministri consiliorum ignarum fuisse (1)? Vitiosâ dispositione a comite de Boynes res est incepta, quem satis levem et studendi pigrum fuisse censemus.

Epistolâ celeberrimi viri Turgot qui sequenti anno, in locum comitis de Boynes substitutus est, confirmatur nihil nisi parvam militum stationem ad comparandam annonam et corrigendam pravam mercandi consuetudinem provisum esse ; non munitione, non armis opus esse ; imo vero ne mercatores vel navigiorum rectores arma cum principibus indigenis consocient ut servos et prædam contrahant, omni curâ cavendum esse ; Baronem igitur præfecto et procuratori in insulâ Franciæ agentibus subjectum esse, ut epistolâ superiore anno scriptâ demonstrari possit, si attente legatur, nec quidquam illum facere posse nisi ex mandato ipsorum (2). Hæc autem epistola non missa est. Ad ipsum

(1) Col. Mad. C⁵ 6. Rapport de la Pérouse, 1776.
(2) Col. Mad. C⁵ 4. Turgot à Ternay et Maillart, juillet 1774. Ibid. Turgot au baron de Benyowszky, juillet 1774.

Baronem scripturus fuit, nec scripsit alteram in quâ memorabat non coloniam nec regnum sed stationem condere eum jussum esse, cum eo missos non tam milites quam opifices, qui alterâ manu ædificarent, alterâ, si modo opus esset, pugnarent ; etsi ipsi imperatum esset ad ministrum recte referre, non tamen omissum esse jus præfecti insulæ Franciæ cui Baro omni modo submissus esse et de rebus gestis rationem referre deberet. His quidem perlucidè demonstrabatur quibus regulis administrari res oportuisset, quod ex epistolâ comitis de Boynes intelligere non dabatur. Litteræ vero non sunt delatæ, quas Turgot paraverat.

Postquam enim fiscum gerendum ille obtinuit, de Sartine, ex præfecto Urbi, partes ab eo relictas recepit et cum suæ provinciæ arcana sibi explicari post longum tempus jussisset, sic ad Regem ipsum de insulâ Delphinâ retulit :

« Cum a V. M. mihi rerum navalium et coloniarum
« cura commissa esset, inceptam in insulâ Delphinâ colo-
« niam inveni, cujus et originem propositi et quibus prin-
« cipiis fundaretur in primis novisse conatus, ratione mihi
« redditâ, inconsultè rem esse gestam et solâ fortunâ opi-
« natus sum. Certior factus sum, improvisâ manu Hunga-
« rorum in Franciam appulsâ, hinc a ministro conceptum
« esse negotium totum, ut cuilibet legationi baronis Be-
« nyowszki opera adhiberetur, qui advenis præerat ; hæc
« quoque opinio confirmatur quod Loriente is legatus
« missus sit ad Indos, sinè mandatis, unâ tantum epistolâ
« ad præfectum insulæ Franciæ præmissâ, quâ nuntiaretur
« trecentos milites voluntarios in insulam Delphinam des-

« tinari [1]. » Quod si ipse minister non benè ea discreverit, concedimus obscurâ mandatorum significatione eludi potuisse Baronem, cum consuetudines cum principibus facere juberetur, jusque mercandi regere, nec ut cuiquam obediret certè moneretur.

Nunc vero, quibus copiis, quo ducis proposito, quantâ hominum rerumque difficultate res instituta sit, exponendum.

(1) Col. Mad. C[5] 8. Rapport de Sartine au roi, mai 1778.

# CAPUT III

## DE DELECTU LEGIONIS VOLUNTARIÆ ET BARONIS BENYOWSZKY CONSILIIS

Tricesimo die decembris 1772 [1] jussit Rex legionem peditum voluntariorum deligi in tres manipulos divisam, quorum quisque novem et septuaginta tirones comprehenderet : stipendium et arma regali fisco præbenda erant. Huic præponebantur Baro sub titulo præfecti (gallicè *colonel*), centuriones quatuor (gallicè *capitaines*), tres subcenturiones primi ordinis (gallicè *lieutenants*), tres secundi ordinis, in summâ non plures quam undecim, quibus postea juncti sunt gromaticus unus (gallicè *ingénieur-géographe*), castrensis rationis tabularius (gallicè *quartier-maître*) et signifer. Posterius usque ad viginti numerus accrevit [2]. Stipendii autem causâ, per annum XII millia lib. Baroni, IV millia legato ejus, cuique centurioni III, subcenturioni primi ordinis MDC, secundi ordinis MCCCC destinabantur. In globo, cum uno et viginti ducibus, ducentis

(1) Col. Mad. $C^5$ 3. Ordonnance du 30 déc. 1772.

(2) Ibid. État-major du corps des volontaires de Benyowszky, 2 déc. 1773. Signé de Benyowszky.

septem et triginta militibus legio conscriberetur, uno mense, stipendii causâ, expendebantur ad sex millia sexcentæ quinque et quadraginta libræ (1).

Cum autem baro Mauritius sibi opus esse majore pecuniâ propter nimios sumptus scriptitaret, adjecta sunt ei, donativi instar, septem millia lib. quæ soluta sunt a duce de Aiguillon de fiscalibus nummis ad suam provinciam pertinentibus (2).

Intereà jubetur portum adire unde iter facturus erat : quo cum advenisset, Russos undecim numero invenit qui proficisci propter valetudinem non potuerunt, ideoque missionem honestam eis dedit, ut in navibus mercatoriis navigare ultro possent. Ceteri eum secuti sunt, inter quos duo tantum Hungari, Kromstowski et Kovacz nomine, centuriones ambo. Cum his octo et triginta Poloni vel Russi congregati erant. Quibus compositis, postquam cum ministro de secretis notis, simplicioribus quidem (3), convenit, secundo et vicesimo die aprilis 1773 (4) e portu solvit. In Commentariis refertur abiisse quasi coactus ; ex litteris autem ipsius nihil tale comperiri potest.

Tres igitur menses progressus est donec ad promontorium Bonæ Spei appelleret ; quo in loco propter inopiam ciborum et ægram multorum valetudinem dies aliquot statuit manere. Inde profectus, uno et vicesimo die mensis septembris insulam Franciæ attigit. Ibi vero, quasi in ter-

(1) Col. Mad. C⁵ 3. État de solde signé de Benyowszky.

(2) Id., ibid. Rapport au duc d'Aiguillon, 20 février 1773.

(3) Id., ibid. Benyowszky au ministre, 9 avril 1773. Nunquam his usus est.

(4) Id., ibid. Benyowszky au ministre. Lorient, 22 avril 1773.

ram hostium pervenisset, cum suis voluntariis castra metari coactus est et cum arma justa nondum præsto essent, ipse pecuniâ suâ sclopeta mutuatus est ut tirones quotidianâ exercitatione his armis assuescerent [1]. Cohortem suam novis militibus augeri debere et instrumentis muniri dictitabat, necnon pulvere et armis [2] et opificibus : quæ quidem omnia ex Franciâ suppeditari ob nimia maris spatia non facilè poterant, neque ex insulâ Franciæ propter inopiam.

Quæ autem in ingenio Baronis versarentur, dum raros tirones necnon rudes ipsos centuriones quotidiè disciplinam militarem doceret, ex ipsius epistolis colligere licet.

Ex insulâ Franciæ scribit [3] se per navem mox profecturam litteras ad ministrum missurum esse quibus eum certiorem faceret de futuris consiliis suis, et, dummodo approbentur, coloniam se immenso spatio amplam, solo fecundam, nec non viribus formidandam conditurum pollicetur, quâ, quasi clypeo protegantur nostræ apud Indos coloniæ. Centum millia argenteorum, familias centum et quinquaginta Europæorum colonorum sibi necessarias poscit : expensa autem primo anno recuperari posse confirmat. Possessione totius insulæ Delphinæ, se omnium hujus Oceani portuum commeatus facilius et pretio minore suppeditare posse arbitrabatur, ita ut portus dicti *Socotora*, *Mascate* et *Bassora* ob rem frumentariam e coloniâ suâ quasi pende-

(1) C⁵ 3. Benyowszky au ministre, 30 oct. 1773.
(2) Id., ibid. 7 nov. 1773.
(3) Id., ibid. 25 sept. 1773.

rent. Satis temerarium et ignari locorum ingenii hoc esse videbitur : eodem testimonio demonstratur Baro non fuisse, priusquam proficisceretur, suæ missionis planè præmonitus, qui post quatuor itineris menses, se de futurâ agendi ratione scripturum tantummodo pollicetur.

Mense januario 1774, cum vix legio suum numerum complevisset necdum tamen arma transvecta essent, per litteras nuntiat se coloniam agricolis et militibus mixtam velle condere, jam triginta milites per navem missos esse exploratum quem in locum transferantur omnia impedimenta et res ad condendam coloniam utiles : mox igitur ceteros se expositurum in delectum littus, proximos in agros statim semina varia immissurum et primum cannabis; regales duos hortos araturum, quorum ex altero ægris, ex altero navibus venturis olera præberentur. Ad quingenta millia cafæi stirpes et piperis et xyli serendæ erant et sacchariferæ arundines, unde, revolutis annis duobus, amplius quam centum millia argenteorum Regi reditura esse confidebat, et in annos magis ac magis, præsertim ubi mulieres indigenæ xylum texere didicissent. Intereà, arundinibus sacchariferis cum oryzâ, Sinensi more, simul decoctis, spiritum vel succum expressurus erat, quo ad emendos servos et boves adhibito, trecenta millia argenteorum quotannis redirent [1]. Similis colonia in sinu vocato Voluntariorum (*Màjunga*) condenda erat, in quâ milites disponeret, ut ab Arabibus mercatoribus portoria exsolverentur. Post, adjicit se interdicturum esse omnibus commercio sclopetorum, cum quodam

(1) Col. C⁵ 4. Benyowszky au ministre. Ile de France, 8 janvier 1774.

interioris insulæ principe belli societatem initurum, cum aliis agricolarum et pastorum principibus fœdera pacifica, ut commeatus et cibaria sibi primum et suis, dein negotiatoribus Indis cum quibus agere cuperet, commodarentur; instructis duobus portubus, altero in Antongil, altero in Voluntariorum sinu, hic navalia comparari posse arbitrabatur, in quibus perpetua materies instaurandis reficiendisque navigiis haberetur; quin etiam ligno robustissimo quod vocatur *teq* et in insulâ abundantissimo naves erat ædificaturus, quibus regendis cum indigenæ deligendi essent, eos mox ita peritos nauticæ rei se effecturum dicebat, ut, ante secundum annum, ædificatam in Delphinâ insulâ navem in Franciam ab indigenis nautis navigaturam esse polliceretur. Hoc etiam sibi proponebat ut auri, argenti ærisque et ferri venas quas frequentissimas fore arbitrabatur, exploraret, quibus in fodiendis libentissimè, ut ait, indigenæ operam daturi essent, simulque ut crystallum requireret, topazia et gemmas. Sed, quod certius esse videtur, tria millia servorum, dimidio minore pretio se in vicinas insulas, in Americam etiàm exportaturum confirmabat, quo facto, multa pecunia publica servaretur, quæ nunc hoc in negotium perditum iret: cum perfecta essent omnia, se non modo insulam Franciæ hominibus et rebus adjuturum, sed et classibus oblaturum esse stationes securas in quibus refici possent ut in hostes iterum emitterentur; non posse castella ibi nostra capi, et si tale quid accidisset, sine morâ pellendos esse hostes et nostro et sociorum renovato impetu confidebat; nam, post duos annos, immensum se exercitum in insulâ coacturum esse et classem magnis rebus aptam opinabatur. Ut tanta effici

possent, esse modo opus pecuniâ magnâ et subsidiis, quæ omnia in codicibus enumerabantur [1].

Tam immanis visa est expensorum propositio, ut novus minister irasceretur et, nisi ad modestiam descenderet, revocationem minaretur [2]. Ægri vero somnia esse merito videntur hæc consilia, cum hæc dum scriberet, in insulâ Franciæ moraretur et non, nisi per mercatorum responsa, regionem nôsset. Tempore navigandi e Franciâ in Indos eum oblitum esse manifestum est suæ missionis, et propriâ animi impotentiâ in invia irruisse. Incredibili levitate ingenii, consilia illa, quæ ipse a ministro approbanda esse scribebat, perinde persequi incepit, ac si solus et dictatoris imperio juberet. Quam ob causam controversias primum, mox invidiam nasci necesse erat inter eum et insulis præfectos. Quæ nunc ordine referre convenit.

Præfecti vel gubernatoris eques de Ternay officium tum gerebat, procuratoris autem (gallicè *intendant*) Maillart-Dumesle, quorum animos et ingenia ex ipsorum scriptis perspicere dabitur. Præfectus de Ternay, eodem anno quo fuit Benyowszky missus, naviculas exploratorias instruxerat duas, quæ oras insulæ Delphinæ specularentur a dicto sinu Antongil ad promontorium Sancti Sebastiani, quod adhuc ignotum littus erat; quo facto et cognitis loci facultatibus, stationem condere in animo erat, postquam a ministro res approbata esset. Adventu Baronis, cujus majoris momenti inceptum videbatur, res interrupta est; professus autem

(1) $C^5$ 4. Extrait des lettres du baron de Benyowszky, relatives à l'établissement de Madagascar, 1774

(2) $C^5$ 4. Turgot à Benyowszky. Projet de lettre, août 1774.

est de Ternay se omni studio Baroni operam præstare velle.

Prius autem in insulam Franciæ expositus est Baro, quam litteræ delatæ essent, mense februario missæ, quibus adventus ejus nuntiaretur et mandata ministri continerentur ; quo factum est ut legio inexspectata necdum instructa extra ordinem recipienda et armanda et alenda esset. Benyoswzky autem primâ epistolâ, quâ de itinere confecto ministrum certiorem fecit [1], de nemine questus est. Absens erat præfectus, ægrotabat procurator : qui quidem non invidiæ causâ sic agebant, quippe qui essent missionis ejus ignari. Posteà autem Baro procuratorem vehementer incusavit quod necessaria sibi et militibus suis suppeditare nollet et a principio inimicum se demonstraret Quare autem mutati sint animi Baronis facilè novimus : majorem militum numerum conscribere jamdiù cupierat ut centum et viginti viros quisque manipulus complecteretur, de quâ re etiam ad ministrum scripserat [2]. Cum tardior esset navis, quæ partem alteram legionis vehebat et ipse animos grandiores, ut vidimus, gereret, quam qui proposito congruerent, postquam a præfecto jure constituta est legio voluntariorum, ab eo quæsivit ut sibi daretur licentia centuriæ exploratoriæ conscribendæ [3]. Cum in mandatis, quæ tandem extremo octobri mense, e Franciâ acceperat, nihil huic postulationi adversum is reperisset, facultatem deligendi dedit : hoc tamen statutum est, ut ex ære Baronis novi milites essent in-

(1) C⁵ 2. Benyowszky au ministre. 25 sept. 1773. Ile de France.
(2) C⁵ 3. Benyowszky au ministre. De False-Bay, 3 août 1774.
(3) C⁵ 3. Maillart au ministre, 27 déc. 1773 ; de Ternay au ministre, 24 déc. 1773.

struendi. Qui vero, promissi non memor a procuratore X millia argenti petivit ob eam causam simulque altera XII millia, nihil allegans, nisi quod ipse ad ministrum de pecuniâ eâ referret. Contra morem id factum esse arbitratus procurator, Baroni respondit non posse se pecuniam dare et rectè egisse tabularium qui, imperante Barone, nihil de suo fisco pendere hâc de causâ voluisset, propterea quod non licitum opinaretur legionem voluntariorum absque imperio Regis augeri; denique contrà legem faciendum esse, si de Fisco regali quidquam penderetur, nisi procurator sciret quem in usum pecunia præstaretur [(1)]. Adversùs hæc baro Mauritius affirmabat se, etsi cum equite de Ternay de suis rebus litteris communicare deberet, non tamen obnoxium huic nec procuratori esse [(2)]; si vellet hic, tabularium alium mitteret : ni fecisset, cum planè sciret quam vehementer sibi procurator inimicus esset, qui verbis missionem irridere vel impedire actis conaretur, se sinè tabularii operâ res gesturum. Procurator hâc offensione commotus, alium se præsto habere tabularium negavit, et summam rerum Benyowszky ipsi dimisit, qui Regi de omnibus responderet [(3)]. Uterque de eâ controversiâ ad ministrum retulit, procurator moderatione quâdam verborum, qui jus et leges præ se haberet, Baro autem non sine iracundiâ, ut qui nondum vinculis legum et procuratorum rationibus implicitus esset [(4)]. Id autem non dubium est, procuratorem Maillart rem malo

(1) C⁵ 3. Maillart à Benyowszky, 24 déc. 1773.
(2) C⁵ 3. Benyowszky à Maillart, 24 déc. 1773. — In Commentariis omnia hæc dissimulata sunt ut invidiæ procurator faciliùs argueretur.
(3) C⁵ 3. Maillart à Benyowszky, 25 déc. 1773.
(4) C⁵ 3. Maillart au ministre, 27 déc. 1773.

omine cœptam reputavisse : sic enim unà cum equite de Ternay ad ministrum retulit, immensam pecuniam in hoc consumendam incertosque esse reditus quibus ea expensa recuperari deberent. Sed vitiosè egit Baro, qui, suis mandatis semet liberans, existimavit subsidiis et fisco insularum se posse uti, nec rationes reddere. Quod si modestiùs egisset, et, secundùm præceptum Regis, stationarium se ducem, non imperatorem ostentasset, sibi eos conciliavisset qui, injuriâ lacessiti, se mandatis suis rectè continuisse videntur.

## CAPUT IV

### QUID IN INSULA DELPHINA BARO BENYOWSZKY, SI EJUS LITTERIS CREDATUR, PERFECERIT

---

Ergo, ex insulâ Franciæ profectus est Mauritius Benyowszky, secundâ die mensis februarii 1774 comitantibus circiter trecentis nautis et militibus (1).

Novembris tertio die, anno superiore, præmiserat naviculam dictam *Postillon* cum triginta voluntariis in insulam dictam tunc *Marotte* vel *Maroce* exponendis, qui vicinas oras explorarent et futuræ coloniæ situm deligerent. Hanc stationem magis opportunam fore quam portum dictum *Tamatave* eques de Ternay existimabat, non vero ante proficisci Baronem oportere putabat quam hiemalis tempestas cessavisset, quod fieri solet extremo martio mense (2). Baro autem causatus erat se naves ex Europâ exspectare huc eodem mense appulsuras (3). Attigit igitur insulam Delphinam quarto decimo die februarii. Est in conspectu insulæ quam

(1) C5 3. Maillart au ministre, 16 août 1774.
(2) C5 3. Ternay au ministre, 13 oct. 1773.
(3) Una tantum missa est, nomine Sirena, quæ ad littus Castelli Delphini januar. 1775 fracta est.

primum voluntarii obtinuerant sinus in quem influit flumen non mediocre, quod ab incolis *Antanambalana*, a mercatoribus *Tinguebale* vel *Ambala* vocabatur. Procedebant duo cornua ripæ utriusque in mare longius, non tamen amplius quatuor pedibus mare superantia, ut, cum fieret æstus, infima loca inundarentur et paludes potius quam arenæ prospicerentur, exceptâ planitie circum sexcentos pedes quadratâ [1]. Ibi castra metari instituit Baro; sed, quo clariùs intelligatur quâ jactatione verborum eludere absentes ministros tentaverit, et comparatis complurium testimoniis, quid in magnificis ejus de seipso narrationibus veri possit inveniri, primum ex Mauritii litteris, quæ, etsi Commentariis fallaciâ longè superantur, fabulis plenæ tamen sunt, quid perfecisse se dixerit, ordine exponemus ad sinceros testes post redituri.

« Quem locum elegi, is locus totâ in insulâ saluberri-
« mus est; paludes exhauriendas curavi circumfusas et
« sanos aquæ fontes institui. Portus omnium in his regio-
« nibus optimus est, quem ad protegendum tormenta plu-
« rima disposui, et, ut appellendi navibus facultas detur,
« pontones instruam. Chartâ quam hic includo, descripsi
« operum figuram quæ permulta cum summo labore mili-
« tum et consummatione virium perfeci : quæ quidem om-
« nia securibus septem confici necesse fuit, omnia instru-
« menta cum deessent malevolentiâ procuratoris. XIII mi-
« lites vel nautæ interiere, libidine consumpti; tempestas
« igitur cœli non est ob hos casus incusanda. Vitiosos

(1) C⁵ 6. Rapport de la Pérouse, 1776. Vide Grandidier, Atlas, pl. XXXI : plan de la rivière Antanambalana par Rosières.

« mores correxi asperâ disciplinâ, quam adeo mirati sunt
« principes hujus regionis ut jurejurando fidem primum
« confirmaverint, dein se Gallis concedere loca a me occu-
« pata, littora denique omnia totius insulæ et insulam
« ipsam Gallorum sub dominio fore, ita ut nemo vel indi-
« genarum vel extranei cujusquam populi hic considere
« possit nisi tributa solvat. Portum *Tamatave* exploravi
« quem impervium semper fore existimo; portum autem
« quem nomine de Boynes nuncupavi (*Port Choiseul*) nullis
« impensis apertum et securum conservabimus; insulâ
« enim cujus nomen Marotte nomine d'Aiguillon mutavi,
« ubi tormentis et præsidio firmata erit, facilè defendetur.
« Huic coloniæ caput erit *Louisbourg*, qui locus portui
« proximus est. Stationem disponere in animo est secun-
« dam, mox tertiam in locis dictis *Foulpointe* et *Vohemar*,
« ut omnis mercandi facultas mei juris sit, quartam autem,
« ubi iter ad occidentem apertum erit (1). »

Quis non miretur post unum mensem, ducentis militibus et securibus septem facta esse miracula tot ac tanta ?

Subsidia eâdem epistolâ rogabat, in primis navem magnam vino et frumento oneratam, ducentos tirones, opifices, centuriones et medicos, duo et viginti tormenta, ferramenta et omne genus mercium.

Mense autem septembri ejusdem anni 1774, multas in Franciam per navem quam in promptu habebat epistolas misit, quibus sex mensium laborem exponebat. Castellum ædificaverat dictum Louisbourg, intra vallum cujus

(1) Sumpta hæc sunt ex epistolâ ipsius Benyowszky ad ministrum. Louisbourg, 22 mars 1774. Col. Mad. C⁵ 4.

cellas et horrea exstruxerat ad pulverem servandum et frumentum includendum, habitationes militum et vigilum stationem, armamentarium, domos ad usum ducis et ejus legati, carcerem, coquinam et quâ mensa tabularii statueretur, tabernam; cellam denique aliam in quam cibaria propria peculiariter conferrentur. Mentionem etiam faciebat horreorum ad oryzam congerendam et domûs unius in insulâ d'Aiguillon quatuor conclavibus et exedrâ constantis, necnon sex aliarum domorum et regalis horti mensurâ decem jugerum quadrati (1). Quum pauciores essent milites quam ut satis altum in palude aggerem exstruere possent, in quo casæ disponerentur, ut primum incaluit æstas, mortiferis vaporibus affectâ multorum valetudine, in interiorem insulæ partem misit qui salubriorem locum quærerent. Hi juxta flumen campum invenerunt tribus leucis longum latumque, quem fecundo solo et salubri cœlo insignem et proximo flumine navibus facilè adeundum esse Baro judicavit. Ibi collocati sunt qui ægrotabant et mox convaluerunt eamque ob causam *Campum Salubrem* (2) hunc locum appellavit, congregatisque principibus ejus nationis quæ vocabatur Saphirobay, dominium hujus campi et riparum usque ad caput fluminis mille argenti pretio acquisivit (3).

Intereà, cum maximam littorum partem occupare sta-

(1) C⁵ 4. Répertoire de la Corr. de Benyowszky. — Extraits de lettres. — Lettre du 1er sept. 1774. — Une maison composée de quatre pièces avec un salon. — Vide mappam a Nicholson Willelmo editam in *Ben. Travels*, vol. II, in appendice : Map of Louisbourg.

(2) La plaine de Santé. Benyowszky au ministre, 1er sept. 1774. C⁵ 4, lettre B.

(3) Bello acquisita sunt hæc loca, non pecuniâ empta.

tuisset, ut mercatores observare et, si vellet, impedire posset, plurimas stationes variis in locis disposuit, quarum prima in portu dicto *Foulpointe* appellata est Castellum Gallicum [1]. Ibi erant duo horrea, carcer servorum, habitatio militum, valetudinarium et ducis domus. Quinque et triginta voluntarii, triginta conscripti indigenæ locum tenebant, qui usque ad Castellum Delphini custodiam agere jubebantur [2].

Secunda statio in loco dicto Mananhar inter primam et portum de Boynes, a septem voluntariis, duodecim indigenis et optione custodiebatur : ibi exiguo vallo horrea et domus una muniebantur. Tertia autem, in insulâ d'Aiguillon locata a duodecim militibus et septem indigenis defendebatur, ex quâ erant prospiciendæ naves quæ forte huc navigarent. In quartâ statione dictâ *Louisbourg* triginta milites morabantur; in quintâ vero, in *Campo Salubri* sive *Voluntariorum* cum quinquaginta suorum Baro ipse consederat. De sextâ statione ad Castellum Voluntariorum et de septimâ ad Antonguin mira referebantur, minimè credibilia ; de octavâ autem quam ad mare occidentale condi jusserat, nondum certior factus erat [3]. Numerus voluntariorum ad centum et sexaginta variis casibus descenderat : non tamen dubitabat Benyowszky quominus in suam potestatem insulam totam redigeret [4].

Insulæ partem occidentalem explorare, mense aprili in-

(1) Fort Français.
(2) Ridiculum id videbitur propter longinquitatem locorum.
(3) Nunquam condita est octava hæc statio.
(4) C⁵ 4. Benyowszky au ministre, 7 sept. 1774.

stituerat. Cum enim novisset non posse insulam a se debellari nisi pars illa primum obtineretur et præcipuè in his regionibus boves et servos minoris pretii esse, etsi itineris difficultas et montium asperitas deterreret, interpretem tamen nomine *Mayeur* cum viginti militibus et octoginta auxiliariæ cohortis indigenis misit, commeatu necessario viginti itineris diebus ministrato. Qui cum esset jussus ad sinum dictum *Morungana* pervenire, sex et triginta dierum spatio nihil renuntiavit. Ex duabus ejus exploratoris epistolis quas transcriptas in litteris Baronis invenimus (1) de itinere ab eo confecto quædam testimonia quærenda sunt, hoc tamen intellecto non esse has epistolas sermone scriptas satis rudi quo Mayeur interpres uti solebat, sed procul dubio a Barone correctas esse.

Cum igitur primo maii die profectus, scaphis indigenarum fluminis caput attigisset, tres ibi dies moratus est ut vallum et horreum et domus quinquaginta pedum in longitudinem et viginti in latitudinem (mirabile dictu!) perficeret; silvam inde penetravit; quæ cùm esset impeditissima, semitam securi aperuit tesam unam et dimidiam latam, quam in futurum commodissimam fore declarat (2). Sic quatuor dies ferro iter secans decem leucas progressus est, et, superato quodam monte, in planitiem pervenit silvis nudatam, pecore et pascentibus feris frequentem : quam cum emensus esset, sexto die itineris a fluminis capite, in indigenarum vico nomine *Andraroaré* benignè acceptus est. Ibi cognovit regio-

(1) C5 4 : Lettres sans date de Mayeur au baron dans la lettre de celui-ci au ministre, du 1er sept. 1774.

(2) Hoc cogitatum et scriptum a Benyowszky videtur.

nem eam postquam sub imperio fuisset reginæ locum dictum *Bombetoc* tenentis, nunc bello cessisse in jus principis cujus regio nuncupatur *Boana* (1). Inde ad alium vicum in quo erat insignior quidam princeps uno die translatus est, juxta flumen *Soffia* situm, nomine *Antonguin* (quem vicum quatuor et triginta leucis a *Louisbourg* urbe abesse ex aliis testimoniis constat) (2). Cum igitur amplissimè, et, si sinceras epistolas esse credamus, magnificè cum eo principe verba fecisset, nuntium præmisit ad Regem et paucis post diebus, in vico *Antonguin* decem milites cum uno duce post se relinquens qui vallum et horrea et casas de more exstruerent, Regem adiit, qui, per venenum exploratâ Deorum voluntate nùm cum Gallis societatem fieri comprobarent, portum dictum *Bombetoc* iis cum proximo agro concessit.

Hæc miranda quidem essent, si vera fuissent, quæ per epistolas grandi stylo mandavit Baro, conciliata regna et trajectam insulam commemorans (3). Quid credendum sit de iis, ex mandato Baronis ipsius novimus, quo curator viarum (4) decimo die junii mensis anno 1774 jussus est eumdem Mayeur subsequi ad locum dictum *Angoutsy* (5) ut viam perficeret. Si ergo, mense junio, ille interpres ad septentrionem in littore iter faceret, ut ex ipsius Baronis testimonio perhibetur, ad promontorium dictum *d'Ambre*

(1) Boueni vel Antiboina, quæ nomina a Grandidier scribuntur Boina.
(2) C5 4. Protocole du génie. Évaluation des dépenses faites à Antonguin.
(3) C5 4. Benyowszky au ministre, 1er sept. 1774.
(4) Gallicè, *ingénieur*.
(5) Ngoutsy vel Angoutsy in littore provinciæ Vohemar versus septentrionem.
C5 4. Protocole du génie. Établissement de Vohémar.
C5 6. Rapport de la Pérouse.

boum congregandorum causâ, falso affirmat Baro eum absentem fuisse in interiore insulâ de maio mense ad septembrem et stationem novam in *Bombetoc* tum comparavisse [1].

Sed et ipsius interpretis Mayeur narrationem habemus de his itineribus, ex quâ certum videtur ab indigenis Seclavis eum fuisse coactum ut, infecto negotio, reverteretur, vixque fugâ insidiis elapsum, sinum Antongil repetiisse. Inde, circiter mense novembri 1774, ad Regem partis Ankarana dictæ profectum se refert et ad portum Rodo pervenisse [2].

Sed quid dicam de epistolâ quam his diebus ad ducem de Aiguillon misit, quâ sic loquitur : « Posteri summâ vo-
« luptate perlegent res a me in insulâ Delphinâ gestas : doce-
« buntur enim legione ducentorum septem et triginta viro-
« rum, nunc casibus ad centum et sexaginta reductâ subac-
« tam esse hanc insulam cujus circuitus octingentas leucas
« complectitur. His adjungitur mappa insulæ universæ [3].
« Præsentibus confirmo coloniæ subjectas esse duas et
« triginta provincias, quarum principes tributum annuum
« solvunt, quo legio mea sustinebitur : præterea annuos
« reditus argenti centum et quinquaginta millium certos
« habeo, et mercando quadragies centena millia lib. lucro
« apponam. »

Rogabat sibi mitterentur subsidia quorum enumeratio-

(1) C⁵ 4. Benyowszky au ministre, 1er sept. 1774, lettre E. — Le huitième poste, je n'ai pas encore la nouvelle de sa perfection. *C'est le sieur Mayeur*, interprète, *qui est chargé de le former au bord de la mer sur la côte ouest.*

(2) *Journal officiel*, 12 avril 1896, p. 2074. Discours d'A. Grandidier sur les voyages de Mayeur, d'après son journal inédit.

(3) Vide mappæ ejus imaginem in *Histoire physique, naturelle, etc., de Madag.* — Atlas, pl. XXII, XXIII.

nem perlustrare non inutile est. Duas flagitabat naves, quarum altera minor esset, trecentos tirones, centum millia argenteorum [1], quinque millia lib. butyri, mille et quingentas lib. olei, centum et quadraginta millia lib. variorum seminum, aratra triginta cum ferramentis variis et molis, permulta vestimenta et petasos sexcentos in usum militum, duo et septuaginta tormenta [2]. Cum coloniam condere cuperet, septem mitti rogabat centuriones, quatuor navales duces, plurimos ministeriorum magistros, familias aliquot, sexaginta pueros et totidem puellas orphanas duodecim annos natas, et mulieres nonnullas quæ militibus nuberent. Hæc omnia sibi necessaria esse dicebat ut planè perficeret quæ in insulâ se efficere posse arbitraretur, *quæ tamen secreta animo continebat adhuc*, cum nemini confideret [3].

Sequenti anno, non minora proferre ausus est.

Mense martio 1775, ait se, postquam provinciam Angoutsy dictam subegisset, extremas ad septentrionem insulæ partes attigisse, scilicet promontorium *d'Ambre*, ibique principem quemdam, qui cum Seclavis illius regionis non feliciter bella gereret, sub Regis imperium redactum et tributa pollicitum esse. Inde prœliis feliciter commissis, Arabem nomine Savassi coactum esse ut portum *Moneyana* [4], Afrorum commercio aptissimum, Gallis concederet. Quo cum in loco longè minoris pretii oryza et servi essent æstimati, immensam pecuniam ex eo commercio

(1) 100,000 écus. C⁵ 4, 14 sept. 1774. — Demande de secours du Baron.
(2) 24 pierriers, 12 canons, 6 mortiers, 30 espingoles de rempart.
(3) C⁵ 4. Demande de secours, 14 sept. 1774.
(4) In sinu qui vocatur Nosi-Faly, in littore occidentali insulæ.

redituram prædicabat et seipsum ex ære suo et amicorum Afros jam tentasse : intereà, indigenæ cum oryzæ serendæ studiosius operam dedissent, neque ipse ob invidiam præfectorum merces ex insulâ Franciæ habere potuisset quibus mutandis messem emeret, chartas suo nomine signatas acceptas ab his esse pro argento narrabat, ad lib. decies centena millia. Quæ congregata cibaria, necnon quingentos boves quos simul contraxerat, cur ex insulâ Franciæ nemo requireret mirabatur, cum fames his temporibus huic coloniæ immineret [1]. Aliâ epistolâ post quatuor dies scriptâ, ait se omnes septentrionales insulæ partes subegisse usque ad portum Morungana qui itinere unius diei a Vohemar distat et in verso ad occidentem littore situs est [2]. Gravitatem cœli mutatam exhaustis paludibus et exaratis agris significat nec plures quam quatuor milites amisisse, sex mensibus præteritis, nunc vacua esse valetudinaria. Se totam insulam sub ditione suâ, si quas rogavisset vires ad diem habuisset, redigere potuisse confirmat, nunc vero, ni subveniatur sibi, omnibus inceptis suis abstinere se oportere. Dein in procuratorem Maillart invehitur qui apud Batavos et Indos oryzam quæri jubet triplici pretio solvendam et boves in insulâ Franciæ decuplo emit cum hæc omnia ex Delphinâ insulâ exportari possent [3]. Extremo mense maio, majora renuntiabat, quæ in præsentiâ verane sint non quærimus.

(1) C⁵ 5. Benyowszky au ministre, 16 mars 1775.

(2) C⁵ 5. Benyowszky au ministre, 20 mars 1775. Sinus hic dictus est *Narendry*. Grandidier, I, 124.

(3) Ibid. Le riz de Batavia est à 45 livres le quintal; à Madagascar, on l'a pour 15. Les bœufs de l'Ile de France sont vendus 400 livres l'un, ceux de Madagascar, 36.

Ad præfectos insulæ Franciæ scribit : se, etsi ab iis derelictus esset et periculis omnibus objectus, devictis hostibus (cujus belli narrationem, ne iis tædium afferat, omittit), insulam Delphinam subegisse a Castello Delphini ad flumen quod vocat *Rivière des Seclaves*, quod in mare influit littore occidentali et omnes oras insulæ inter hæc loca interjacentes : octo reges, centum et viginti principes nostro imperio submissos esse et tributa solvere, octo stationes esse dispositas, quarum caput in mediâ insulâ, in regione dictâ *Antirenglabé* situm esset ; facilem per plurimas vias multo labore directas accessum his stationibus inter se dari, mox etiam per fossam faciliorem fore : tributi causâ, hoc anno comportari octo servos, septuaginta millia lib. oryzæ, quingentos et octoginta boves adduci, non annumeratis sordidis muneribus ; si velint igitur, mille boves et centum millia lib. oryzæ quæ comparata haberet, in insulam Franciæ exportari, navem mitterent cum mercibus quibus pretium solveretur, et quæ utiles novæ coloniæ viderentur (1).

Eâdem die, Baro ad ministrum de rebus gestis referebat : omne regnum Boana subditum esse odio Arabum ; primâ die maii venisse Seclavorum legatos, principem unum et quatuor ex proceribus, qui secum mille boves adduxerint, quibuscum fœdus initum sit, cujus exemplar epistolæ junctum ministrum doceret quæ et quanta in hâc insulâ commoda comparata essent. Littora quingentas et quadraginta leucas longa, nunc a centum et triginta militibus custodiri,

(1) C⁵ 5. Benyowszky aux chefs de l'Ile de France, 30 mai 1775.

tributi causâ hoc anno adactos esse mille boves, viginti servos, ducenta et sexaginta millia lib. oryzæ collata, ad quod adjiceretur quod e commercio rediturum esset [1]; quindecim millia indigenarum ad defendendam coloniam conscribi posse, *duo millia* in navigiis regalibus nunc militare [2]: subsidiis tantum opus esse ut, quo essent statu, res stabiles fierent. Ferax esse solum dicebat in quo per annum duas messes secare solitum esset oryzæ, tres autem zeæ [3]: hic mirâ facilitate provenire triticum et præcipuè cafæum, cujus plantæ octo millia stirpium in horto regali consita essent, tantam autem esse xyli abundantiam ut nihil opus esse videretur nisi opificibus ad instituendas officinas, quibus Britanni apud Indos morantes mox superari possint; sed et metalla quæ plurimis in locis reperta essent, omittere, quod nascenti coloniæ cibaria essent in primis conquirenda [4].

In exemplari fœderis cum hâc epistolâ simul missi, decem capitulis notantur subditi indigenæ et tributarii, auxilia nobis, cum bellum foret, allaturi, qui ultro persequi latrones debeant. Quod ni fecissent principes, in servorum numerum erant redigendi. Non id negligendum est, cujusque viri indigenæ petaso afficiendam esse laminam æream, quâ patria regio et tribus discerneretur, vexilla quoque principibus attribuenda, variis coloribus distincta. Quæ omnia ridicula primum, sed et incerta sunt; nam colonia

(1) C⁵ 5. Benyowszky au ministre, 30 mai 1775. — Notandum est Baronem non iisdem numeris uti in utrâque epistolâ ejus diei.
(2) Ibid.
(3) Maïs, gallicè.
(4) C⁵ 5. Benyowszky au ministre, 30 mai 1775.

vicinis tantum a principibus nota fuit et charta fœderis non esse manu propriâ ab iis signata videtur [1]. Mense octobri, unâ epistolâ, se esse totâ insulâ potitum et dominatu omnia tenere iterum affirmat, res tamen inopiâ perire, et, quamvis maio mense maximâ copiâ ciborum suos abundare contendisset, nunc frumento ceterisque rebus destitutos esse confitetur, ob invidiam procuratoris Maillart-Dumesle [2].

Primo die januarii mensis anno 1776, noster imperator refert se *tertiam partem insulæ subegisse* et jussa Regis exspectare ut legibus assuefaciat provincias quarum reges ultimo bello devicisset [3]. Ut situm prioris stationis salubriorem efficeret, cumulatas esse paludes narrat terrâ quâdam carbone, silice et arenâ commixtâ, in loco casæ paleâ intextæ novam domum Europæorum more ædificatam esse, castellum præsidiis firmatum, quod tormentis duodecim munitum urbem tueri possit ab hostium incursu. Si tantum valuissent opes, ut omnino exhaurire paludes posset, salubrior esset statio ea quam ulla alia. Intereà in sinistrâ ripâ fluminis dicti *Tingbale* partem campi reservaverat, quâ mille et ducentæ familiæ ali possint, sacchariferis arundinibus feracem et pabuli copiâ abundantissimam.

Hoc tempore prætorio novem tantum aderant comites, legioni novem centuriones, quatuor et nonaginta milites, ceteri morte absumpti erant [4].

(1) Traité général conclu avec les chefs de l'île de Madagascar l'an 1775, par le baron de Benyowszky. C[5] 5.

(2) C[5] 5. Benyowszky au ministre, 21 et 25 oct. 1775. — Inter se pugnant litteræ.

(3) C[5] 4. Répertoire de la Correspondance de Benyowszky, 1er janvier 1776. Nondum, nisi paucissimis verbis, significaverat se bella gessisse.

(4) C[5] 4., ibid. Benyowszky au ministre, 1er janvier 1776.

Non tamen Baro cessabat decem provincias laudare tributis obnoxias, quorum naturam et numerum hâc atque hâc epistolâ mutat, ut sinè dubio mentiri videatur (1).

Decimâ die aprilis 1776, Baro renuntiabat se, postquam primum bello lacessitus esset a tribu dictâ *Saphirobay* et *Antanbour*, nunc bellum ultro parare adversùs Seclavos quorum regionem invasurus esset cum sex et nonaginta militibus et servis militari disciplinâ instructis. Paucis diebus post, se aggressurum hostes confirmat, etsi viginti millium numerum adæquare dicantur (2). Postquam, si huic credi possit, milites suos sesquipedalibus verbis cohortatus est, Seclavos prosternit vel dispersos agit suosque ad stationem eximiâ cum laude reducit (3). Ex censu autem voluntariorum hoc eodem die habito, tres interiisse a mense januario constat, ideoque nullius damni fuisse Seclavorum bellum, quod mirum certè videbitur (4). Hoc mense junio, in coloniâ totâ, centum et duodecim viri numerabantur.

Mense septembri Inquisitores advenerunt; usque ad hanc diem Baro non dubitavit se victorem et insulæ Delphinæ dominatorem affirmare, stationum complurium urbisque Louisbourg conditorem, ut nihil superesset nisi coloniam conditam conservare et subsidiis augere.

(1) C5 4. Répertoire de la Correspondance de Benyowszky avec le ministre, 2 janvier 1776. Tributa enumerantur quæ ex decem provinciis solvuntur : Esclaves, 11 ; bœufs, 284 ; riz, 70 milliers ; palissades, 500 ; cristal de roche, 600 livres ; benjoin, 3,500 livres ; bateaux de pays, 2 ; pirogues, 2 ; pièces de bois, 1,200 ; planches, 200 ; huile de baleine, 102 l. Ces dix provinces peuvent fournir 26,500 hommes de guerre.

(2) Répertoire, etc. C5 4. Lettres des 10-24 avril 1776.

(3) Ibid. Lettres des 2 et 4 juin 1776.

(4) C5 4. État du corps, 5 juin 1776.

Omittimus in præsentiâ regale munus Baroni ab indigenis oblatum, de quo Commentarii falso et non breviter tractant, cum in litteris nulla hujus mentio facta sit, et postea res sit plane discernenda. Nunc ad alia testimonia veniendum ut comparando verum expromere tandem possimus.

# CAPUT V

## QUOD FUERIT BARONEM INTER ET INSULÆ FRANCIÆ PRÆFECTOS COMMERCIUM, QUÆQUE SINT EORUM TESTIMONIA

Eodem tempore quo Baronis relationes in Franciam navibus ferebantur, adversas mittebant insulæ Franciæ præfecti, quorum qui fuerint ergà Baronem animi primum explorandum est, ne inimicitiæ arguantur eorum testimonia.

Sæpissimè in epistolis Baro queritur de infestis in se animis præfectorum; nunquam tamen nomine equitem de Ternay increpat, benevolum sibi existimans, procuratorem Maillart continuâ infensione lacessit : nobis igitur graviora videbuntur ejus equitis verba, quæ Baroni contraria erunt; procuratorem vero ex rebus, non e verbis judicabimus.

Exstant duæ equitis de Ternay ad Baronem epistolæ, altera junio 1774, altera augusto mense scripta (1), quibus ei amicissimum se demonstrat et de re gerendâ consiliis eum prosequitur. Jam retulimus equitem, priusquam de adventu Baronis certior factus esset, navigia exploratoria ad oras *Antongil* et *Vohemar* misisse quibus relatas notiones

(1) C⁵ 4. De Ternay à Benyowszky, 10 juin, 17 août 1774.

imprudenti Hungaro commodavit necnon et mappas. Alterâ epistolâ negat stationem a Barone in palude electam, juxta flumen *Tingueballe* (id est Louisbourg) præferendam fuisse insulæ *Marotte* (aliter d'Aiguillon); addit non esse in principio facultatem magnis rebus incipiendis, quia non esset in insulâ Franciæ tanta navium et hominum copia, quantâ inceptis opus esset; hoc igitur anno stationem firmandam esse, et ab interpretibus oryzam et boves emendos in interiore insulâ; insequenti anno magis ac magis, sinè indigenarum invidiâ nec timore, progrediendum. Eâ nave quâ ferebatur epistola, cibaria et merces et ferramenta deportabantur; patienter Baro ageret, milites ne labore fatigaret.

Mense augusto adjiciebat eques sese sollicitum esse quod plures stationes Baro condidisset quam quæ paucis militibus defendi possent, præsertim cum indigenæ fidi non essent; se in iisdem consiliis perseverare quæ prius exposuerit; non, nisi prævalidæ vires essent, quod, legione divisâ fieri non posset, Baronem ab indigenis formidari posse. Etsi non existimaret tantam oryzæ copiam et boum tantum numerum potuisse congregari, a se tamen navem unam [1] esse missam, quæ simul subsidiis eum juvaret et oryzam exportaret; ne vero eâ nave uteretur in novâ ab eo laudatâ ad Africam navigatione; « valetudini militum « parceret malâ anni tempestate, ne itinere fatigarentur, ne « ab iis ager foderetur super omnia videret; hoc tempore « anni otiosos vivere oportere. »

(1) La *Belle Poule*.

His consiliis et amicum Baronis et regionis peritum se esse eques de Ternay significat : simulque confirmat subsidia in insulam Delphinam missa esse cum quatuor naves nomine designet (1); quæ quidem subsidia, si non pluribus, at saltem uni stationi satis esse potuisse constat.

Venimus nunc ad procuratorem Maillart, quem, cum se pecuniam absque ratione pensurum negâsset, sibi inimicum et inceptis suis abhorrentem, baro Mauritius, antequam proficisceretur, crediderat. Qui, cum malè provisum ministri consilium non injuriâ improbâsset, et asperioribus, ut anteà retulimus, Poloni nostri litteris ita esset commotus ut rationalem neminem se daturum, et summam rerum remissurum Baroni scriberet, non amicissimum futurum fuisse concedimus; non tamen quidquam adversus novam coloniam machinatum esse eum censemus.

Queritur Baro in epistolâ ad ministrum (2), quod hi quos misisset secum procurator, merces, quas custodire debeant, furentur et fraudis arguit quemdam dispensatorem nomine Senaut, qui tunc mortuus erat. Ipse autem, qui de summâ rerum responsurum se professus erat, et Rationalem secum ducere legitimum negaverat, nihil de his rebus unquam curavit. In locum mortui, procurator, quasi negligentiæ pœniteret eum, misit in insulam Delphinam Rationalem (3) nomine Des Assises. Cui, postquam jussa omnia quæ a ministro acceperat communicavit, mandavit quam maximâ curâ horrea custodiret, inspectis in primis quæ in

(1) *Grand-Bourbon, Flore, Dauphine, Belle-Poule.*
(2) C⁵ 4, 8 sept. 1774.
(3) Gallicè, *ordonnateur.*

portu dicto Foulpointe sita essent, dein, ubi ad sinum Antongil appulisset, rationem ederet rerum omnium quæ hic superessent, nomina et testamenta, si qua essent, defunctorum militum recolligeret. Secretis autem litteris providebatur, si Baro pecuniam contra legem et Regis imperium præstari sibi jussisset, ut Rationalis primum ei quæ justa essent objiceret, dein, si intenderetur, eadem chartâ exponeret, in quâ denique ducem cogeret ut jussa sua scripturæ mandaret. Quotidianâ narratione res gestas describi jubebat; quod si Baro mortuus esset, ejus res pro satisdato fore donec Tabularii rationes approbari possent. Nullam controversiam cum Barone iniret, summo studio hunc sibi conciliare conaretur; quod nisi perficere potuisset nec jure continere ducem, primâ nave rursus proficisceretur ut rationem redderet (1).

Hic est quem plenum contumeliis libellum in suis epistolis Benyowszky appellat.

Septimo die octobris 1774, sinum Antongil novus Rationalis attigit. Plurimas habemus hujus ad procuratorem epistolas, quibus colonia describitur. In tabulariorum libellis ne prima quidem linea inscripta erat; horrea et valetudinaria reficienda erant, jamjam peritura. Ipse sub tecto scribebat per quod pluvia perfundebatur, quod quidem in coloniâ solitum erat, quia non domus sed canabæ hic essent. Paucissimi qui superessent ut conservarentur operam se daturum prædicabat (2). Post sex menses ipse erat moriturus.

(1) C⁵ 4. Instructions particulières à M. des Assises, 15 août 1774.
(2) C⁵ 4. Lettre de des Assises à Maillart, 29 oct. 1774.

Exemplo memorabili testatur hic Rationalis quam parum adhibenda sit fides Commentariis sub nomine Baronis publicatis. His enim perpetuo arguuntur invidiæ et machinationum præfecti insulæ Franciæ ut rerum malè gestarum auctores videantur. Rationalis igitur qui a procuratore missus erat, iisdem inimicitiis motus esse refertur. Si commentarios enim legimus, vix e nave egressus, Rationalis negat se pecuniam habere, indigenas principes congregat, Baroni ignotos, quos in illum concitat, se iis protectorem offerens ; mox, cum ægrotaret Baro, omnibus centurionibus declarat se res omnes Baronis retenturum esse : quod fecisset, ni minis eorum deterritus esset. Vicesimâ die octobris, cum vinum nonnullis e doliis manavisset et testem damni Baronem invocasset, Commentarii narrant eum a Benyowszky repulsum esse quasi cum suis amicis et feminis id vinum ipse consumpsisset, quod contra nihil retorquere eum ausum fuisse ; eumdem vetuisse ne opera nova et necessaria inciperentur, indigenas monuisse nihil laborarent, quod brevi tempore revocandus esset dux coloniæ ; mense autem decembri indigenas dictos *Saphirobay* impulisse ut arma caperent : quod cum animadvertisset Baro Mauritius, congregato concilio centurionum, sententiisque ordine pronuntiatis, custodiâ detineri jussum esse (1) : mox tamen, cum eum carceris tæderet, ei libertatem a Barone concessam esse, dum se mentitum esse et invidiâ procuratoris Maillart actum esse in concione omnium principum confiteretur : quod cum factum esset, in

(1) *Mémoires de Benyowszky*, t. II, p. 301, 19 déc. 1774.

officio suo restitutum esse donec octavo die februarii ultro recederet (1).

Quot dicta, tot mendacia!

Habemus in manu libellos familiarium epistolarum utriusque viri a mense octobri ad februarium, quotidianà consuetudine scriptarum, nec tale quidquam in his usquam inveniri potest.

Vicesimo die decembris, quâ custodibus traditum esse Rationalem Commentarii fingunt, alter ab altero longè aberat, cum is in statione Louisbourg, ille vero in Campo Salubri esset : cujus rei testimonium duæ ejusdem diei epistolæ perhibent, ex quibus minimè dubitandum est quominus amicorum, non hostium more inter se vixerint(2). Epistolâ procuratoris revocatus est mense februario 1775 (3), quia interrupto commercio insulæ et rationibus redditis nullis, inutile Rationalis officium esse Procurator arbitrabatur. Eâdem epistolâ mitti subsidia in usum ægrotantium et mille libras pulveris nuntiabatur necnon navibus reficiendis necessaria : quo demonstratur non omnino derelictam esse coloniam a Procuratore.

(1) *Ibidem*, p. 303, 29 déc. 1774.

(2) C⁵ 5. Cahier de lettres de Benyowszky à des Assises. — 15 déc. 1774 à la Plaine. — Madame (de Benyowszky) et Mlle sa sœur se portent bien. Elles commencent à revenir des préjugés de la Plaine et m'ont chargé l'une et l'autre de vous dire mille choses obligeantes. Je ne vous envoie pas de légumes aujourd'hui, parce que je vous attends samedi. — 20 décembre 1774, de la Plaine. Ma chère moitié vous dit bien des choses et vous envoie des légumes. La farine est ici si mauvaise, que nous ne pouvons pas manger de pain. Je vous requiers d'en envoyer à la Plaine quelque bon quart. Adieu, mon ami, portez-vous bien, buvez votre vin de Champagne et n'oubliez pas que j'ai eu l'honneur de vous offrir de mon Grave et Malaga. Adieu. Sequuntur quotidianæ epistolæ eodem stylo, ad finem mensis decembris.

(3) C⁵ 5. Maillart à des Assises, 22 février 1775.

Quod quidem nunc abundantiùs probandum est, quantaque pecunia in alendâ et sublevandâ eâ fuerit expensa.

Per litteras equitis de Ternay novimus quatuor naves uno anno in insulam Delphinam esse missas cum subsidiis. Habemus Procuratoris rationes plurimas ad ministrum non semel relatas, quibus expensa singulis rebus describuntur : primâ, mense augusto anni 1774, circiter trecenta millia lib. expleta esse declarantur [1]; secundâ, mense septembri, ab adventu Baronis ad mensem septembrem, nongenta millia [2]. Extremo anno 1775, pervenerant expensa ad undecies centena millia [3]. Cum advenerunt inquisitores de Bellecombe et Chevreau, ex insulâ Franciæ subministrata erant in summâ, si mercium valorem pecuniæ adjicias, propè tredecies centena millia lib [4].

Quibus rationibus, mense januario 1776, Baro objecerat impensas suas ad sexcenta tantum millia lib. ascendisse, quod minimè sincerum est : notarii enim qui in Franciâ litteras ejus recollegerunt, indicant eum in expensorum libello non inscribere omnia quæ debeant inscribi [5]. Certum est igitur ab anno 1773 ad mensem septembrem anni 1775

(1) C5 4. Maillart au ministre, 17 août 1774. — 279,349 l. 7 s. 3 d.

(2) Ibid., id., au ministre, 6 sept. 1774. — 910,293 l. 17 s. 4 d.

(3) C5 5. Relevé des dépenses faites pour le compte de Madagascar, fin sept. 1775. — 1,112,093 l. 1 s. 4 d.

(4) C5 6. Notes de Bellecombe et Chevreau d'après l'inventaire fourni par Maillart. — 1,287,055 l. 9 s 11 d.

C5 7. État certifié par le trésorier principal des îles de France et de Bourbon des sommes payées à Madagascar à M. de Benyowszky et à ses lieutenants, février 1774 à déc. 1775 : 336,416 livres. 30 août 1776. Signé : Hulot. Pour copie : Chevreau et Bellecombe.

(5) C5 4. Répertoire de la Correspondance de Benyowszky. — Observations sur la lettre du 4 janvier 1776. En général, il retranche des dépenses les objets qui doivent en faire partie.

coloniam novam, trecentis viris frequentem, mercibus cæterisque rebus sufficienter esse sublevatam, ni Baro extra mandata sibi injuncta processisset : non invidiosè egisse Procuratorem, qui, cum rationes reciperet nullas, tot mensibus subsidia continua miserit. Namque, mense junio 1775, epistolâ baronem certiorem faciebat se nondum rationis quidquam recepisse, nec defunctorum militum indices neque hereditatum eorum catalogos (1). Ne tum quidem subsidia mittere desiit. Merito autem dicebat de coloniæ novæ rationibus eodem modo agi oportere, quo solitum esset de fractâ nave (2).

Nihil pecuniæ esse præbitum a mense decembri 1775 e ratione Tabularii insularum constat (3). Quare autem id factum sit, epistolâ ad baronem maii tertio et decimo die 1776 procurator demonstrat. Primum, se epistolam quindecimo februarii die accepisse significat quam sibi baro ultimo die decembris 1775 misisset, quâ suæ epistolæ octavo die decembris scriptæ responderetur : se non intelligere quare baro communicare defunctorum nomina et hereditatum catalogos noluerit, cum defuncti sint plerique ex militum

(1) C5 5. Maillart à M. le baron de Benyowszky, 21 juin 1775 : Je n'ai encore aucune nouvelle, ni du trésorier, ni du garde-magasin, par conséquent aucun compte qui constate l'emploi des fonds et des effets et rien qui constate le restant. Je n'ai pas davantage la liste des hommes encore existants ni de liste des morts avec l'époque de leur décès, pour servir à délivrer des extraits mortuaires aux familles. On n'a point non plus envoyé d'inventaires des morts ni aucun produit de leurs successions. Je suis d'après cela dans l'impossibilité de rien constater dans les détails qui me concernent, d'autant plus que M. des Assises étant mort, ni ses papiers, ni son inventaire, ni ses ordres ne m'ont été adressés, non plus que ceux du sieur de Senaut qui a été quelque temps garde-magasin.

(2) C5 6. Maillart au ministre, 14 mai 1776.

(3) Compte du 30 août 1776. Signé Hulot. C5 7.

numero, et, de more, dux ipse de iis rationes reddere debeat; de rebus quas ipse gessisset, se ad ministrum relaturum esse; quid autem ex mandatis Regis facere baronem liceat, se non certiorem de hoc esse factum; mandata sua baro exsequeretur; ipse jussis pareret, minister autem judicaret [1]. Ad hæc a barone responsum est [2] : « De nominibus « et testamentis defunctorum nihil procurator laboraret; « neu rationes a se exigere auderet, cum ad ministrum de « his esset relatum : quod si controversias quidam privati « secum injustè inirent, procurator eas persequeretur et « pro suo sustineret, donec mendacii convinceretur : de ra- « tionibus tabulariorum des Assises et Haumont nihil se « novisse, nisi quod fures, ignari et imbecilli a procuratore « missi essent, quorum erroribus, si vellet, ipse nunc frui « posset, sibi vero hæc omnia non curæ esse; nihil ei cogi- « tandum de baronis gestis, eodemque more illi secum « utendum esse quo ipse uteretur, qui de procuratore non « curaret; denique eum atrociter esse mentitum [3] cum « subsidia ex insulâ Franciæ sibi præbita esse ad minis- « trum scribere ausus esset. » Uter modestius scribere solitus sit, ex his novisse datur.

Fecisse procuratorem quæ potuerit reputamus, magnâ difficultate agendi cum effrenato homine. Nunc quid de coloniâ testati sint eques de Ternay et procurator Maillart-Dumesle, probatâ eorum sinceritate, explicandum.

(1) C5 6. Maillart à Benyowszky, 13 mai 1776
(2) Ibid. Benyowszky à Maillart, 5 juin 1776.
(3) C5 6. Benyowszky à Maillart, 5 juin 1776. C'est un mensonge atroce, vous le savez vous-même.

Primum quidem anxios se esse prædicaverunt de incepto baronis et hanc fore causam magnorum sumptuum (1); quamobrem in Franciâ multi reputaverunt eos minimè favere novæ coloniæ. Mense februario anni 1774, profectum cum suis commilitonibus baronem nuntiabant; junio autem mense, ex testimonio navarchi a quo colonia deducta erat et ex plurimis singulorum litteris, dicebant multos jam interiisse (2), bellum cum indigenis ortum esse et vicum incensum, fugisse incolas in interiorem insulæ partem et commeatûs inopiâ nostros laborare, merces et cibos et res omnes itâ permisceri ut brevi tempore dissipatum irent, nihil enim dispensatorem posse ; multa a barone peti quibus non opus esset, naves scilicet et tormenta plurima (3) : interea castra in paludibus esse disposita, quibus mox omnis colonia corrumperetur (4).

Habemus ejusdem temporis libellum non ignoti navigatoris Kerguelen (5), quo narrat se in sinu Antongil a vicesimo die februarii 1774 ad vicesimum martii commoratum esse, indigenas baroni infestissimos esse, quem pravum (gallicè *mauvais blanc*) vocabant, et sclopetis lacessebant ; se, hortante barone, hostium quemdam vicum incendisse ; sed quos ille subsidio sibi miserat voluntarios L nebulones esse (6).

Mense augusto reversa est in insulam Franciæ navis dicta

(1) C⁵ 3. Lettre commune de Ternay et Maillart au ministre, 13 nov. 1773.
(2) 40 hommes, 6 officiers dès le 24 mars 1774. — Benyowszky annonce 7 morts seulement. C⁵ 4. Résumé des dépêches de Ternay, 17 juin 1774.
(3) Canons et mortiers.
(4) C⁵ 4. Ternay et Maillart au ministre, 17 juin 1774.
(5) C⁵ 5. Mémoire de Kerguelen sur l'île de Madagascar.
(6) Ibid., id.... Des enfants, des polissons, des décrotteurs du Pont-Neuf.

*le Grand Bourbon*, quæ ferebat uxores baronis et centurionis cujusdam Hungari, nomine Kromstowsky, qui mortuus recenter erat ; famâ et litteris cognitum est, centum et octoginta milites, decem ex ducibus esse interemptos, cibaria ita dissipata ut mox rei frumentariæ iterum providere necesse esset. Præfecti dicebant baronem nihil locutum esse in epistolis de pestilentiâ nec de mortuis, sed subsidia rogare immensa pecuniamque nimiam : defunctum dispensatorem furti nunc argui a barone ; intereà se operam dare ut subsidia et ante omnia medici, qui perutiles essent, mitterentur (1).

Eodem die, singulari epistolâ ad ministrum, de Ternay scribit ex nautarum et rectoris ejusdem navis testimonio baronem ægrotare, ex epistolâ autem ipsius, valere ; magnam oryzæ copiam esse comparatam, si baroni credas, si vero nautis, horrea vacua esse : se subsidia mittere, non autem L milites imperatos, rectoremque navis in insulam Delphinam missæ ultro monere, ne nautæ in palude laborare cogerentur (2).

Extremo mense octobri, eques nuntiat a barone sibi datum esse, quod ille vocat succini fragmentum, quod autem est vulgare gummi, se illi rescripsisse ut errore abstineret, sed unam navem jam in Franciam esse profectam inutili hoc pondere oneratam ; inventam esse simul arenam aurigeram ; sed dissimulata funera multorum tam ducum quam militum ; pro oryzæ et boum copiâ, se nunc inopiam suspicari (3).

(1) C5 4. Lettre commune de Ternay et Maillart au ministre, 16 août 1774.
(2) C5 4. Lettre particulière n° 182, de Ternay au ministre, 16 août 1774.
(3) C5 4. Ternay et Maillart au ministre, 28 oct. 1774.

Ducem etiam d'Aiguillon eques de Ternay admonuit de Benyowszky gestis : se suasisse confirmavit ut hiemis finem exspectaret, exploratores præmitteret qui casas pararent et horrea ; profectum tamen esse audacem Polonum et in maligno ob paludem loco consedisse, nihil veri de suis damnis renuntiare, prohibere etiam quominus epistolæ aliorum hoc denuntient, se tamen de rebus omnibus certiorem factum fuisse per litteras quæ perfugissent (1).

Anno insequenti, postquam Rationalem des Assises quem miserat, nihil valuisse pro explorato habuit, procurator scribit : ab initio in insulâ Delphinâ omnia esse turbata, nunc confusionem augeri : quid enim exspectari posse ex eo viro qui tyrannum agat, legem contemnat, se nemini obnoxium esse, peculiaria habere mandata prædicet et sibi omnia suppeditari velit, cum autem neget cuiquam a se rationem reddi debere (2)? Ad hunc diem nec mortuorum nec vivorum militum recognitiones, neque ullas rationes receptæ vel expensæ pecuniæ exhibitas esse (3).

Mense decembri, cum Benyowszky per litteras jussisset (4), sibi subsidium L militum mitti cum necessariis rebus, eques ad ministrum refert se non intelligere posse utrum ipse an baro imperare debeat, nec quid ille facturus in insulam Delphinam venerit, nec quid minister voluerit, denique quid ipse sit acturus (5) cum se bella gerere cum in-

(1) C⁵ 4. Ternay à d'Aiguillon, 7 sept. 1774.
(2) C⁵ 5. Maillart au ministre, 7 juillet 1775.
(3) C⁵ 5. Lettre commune au ministre, 9 juillet 1775.
(4) C⁵ 5. Benyowszky aux gouverneur et intendant de l'île de France, 20 oct. 1775. — Je vous somme, au nom du roi, d'envoyer....
(5) C⁵ 5. Ternay au ministre, déc. 1775.

colis baro referat et militum suorum interpellationem communicare audeat (1).

Præfectus tamen subsidia necessaria, ut vidimus, non recusavit.

Primo januarii 1776 die, sex et nonaginta milites supererant, ut ex epistolâ Benyowszky hoc die scriptâ anteà novimus (2) : quo vero in statu esset colonia ex testimonio cujusdam mercatoris navarchi docemur. Qui, cum a Præfecto rogatus esset ut quamdam descriptionem locorum quæ vidisset dare vellet, respondit se, mense julio 1776 portum *Foulpointe* attigisse in quo loco tredecim milites invenisset cadaverum potius vultu quam hominum, qui, incolarum more, intra vallum humili materiâ factum tenderent, quod Francorum Castellum appellarent. In insulâ dictâ *Sainte-Marie*, nihil apparere; in portu dicto *Angoutsy* vallum esse cum præsidio duorum militum et sex servorum : his littoribus commercia bellis continuis interrupta esse, minorem nunc esse quam anteà oryzæ copiam, et servorum corpora non posse nisi per præfectos baronis emi, quoniam naves mercatoriæ omni commercio interdicerentur qui licentiam ab eo non haberent (3).

(1) $C^5$ 5. Procès-verbal d'une réunion tenue par les officiers du corps de Benyowszky, oct. 1775.

Ils demandent à être récompensés et *relevés*.

(2) Jam in fine 1774 anni centum viginti et duo milites mortui erant. — $C^5$ 4. État certifié par Benyowszky et des Assises, 31 déc. 1774.

(3) Récit du capitaine Bourdé. $C^5$ 6.

Cuidam Savournin mercatori licentiam hujus generis Benyowszky non sinè vi et dolo malo, centum millium lib. pretio vendiderat.

## CAPUT VI

### DE INQUISITORIBUS IN INSULAM DELPHINAM MISSIS ; QUO IN STATU COLONIAM DEPREHENDERINT

Contraria igitur narrationibus Benyowszky nostri præfectus et procurator ad ministrum referebant. Quis miretur dubitasse ministrum, cum propè temporibus iisdem epistolas inter se pugnantes acciperet, hinc quas scripsissent viri probitatis ad hanc diem spectatæ, illinc quæ miraculis tam plenæ essent ut hīs sincera non quædam inesse incredibile videretur?

Severiora mandata quæ a ministro Turgot præparata esse ante docuimus non transmissa esse credendum est, quoniam nihil incertum relinquebant, et si essent accepta, eorum mentio sæpius fieret. His enim cavebatur ne libero arbitrio Benyowszky se gereret, sed cum unum vix mensem rei navali præpositus sit vir ille clarissimus, nemo, quod conceperat, post illum perficere curavit. Qui in ejus locum successit, de Sartine, per litteras baronis, mense septembri 1774 missas, de insulâ Delphinâ certior factus esse videtur.

Habemus enim notulas simul cum epistolis præfecti et

procuratoris ministro oblatas, quibus patet navem a Benyowszky tunc missam celerius in Franciam pervenisse quam quæ præfecti epistolas ferebat. In his enim notulis sæpissimè litterarum baronis memoria repetitur ut comparatio fiat; simulque testimonium navarchi qui naviculæ præerat et Parisios advenerat requirendum esse videtur [1]. Procul dubio epistolæ ad finem junii 1774 scriptæ acceptæ sunt solæ primis mensibus anni 1775, quæ per navem dictam *Carnate* delatæ sunt, extremis diebus mensis junii profectam ab insulis [2]. Quibus, cum non ita graves essent, miræ inventiones, quas septembri mense baro mentitus est, feliciter adversatæ sunt.

Odiis adversariorum, qui parem ferre non possent, gravatum injurià esse baronem minister arbitratus est [3]. Ergo, mense maio 1775 præparatæ sunt litteræ regiæ quibus Aladar, baro de Benyowszky appellabatur : *Commandant pour le Roi dans l'île de Madagascar et petites îles adjacentes.* Áliis litteris instituebatur ad tempus in insulà Consilium Judicum [4].

Denique, epistolâ ministri ad Benyowszky ipsum, tirones centum et septuaginta promittebantur, delectu indigenarum centuriarum duarum approbato [5]. Die etiam sexto decimo julii 1775, epistola præfectis insulæ Franciæ missa est, quà præcipiebatur baronem eodem loco fore quo alii erant

(1) C⁵ 4. Résumé de la correspondance de Ternay et Maillart. — Observations à la lettre du 17 juin 1774.

(2) Ibid. Lettre du 17 juin 1774.

(3) Ibid. Observations sur la lettre du 17 juin.

(4) C⁵ 5. Provisions de commandant, etc., etc. — Lettres patentes portant établissement d'un conseil provisoire à Madagascar, mai 1775.

(5) C⁵ 5. Projet de lettre du ministre à Benyowszky, 23 juillet 1775.

coloniis apud Indos Præpositi, qui cum insulâ Franciæ per litteras communicabant, non autem inferiores reputabantur : sic res permanere oportere donec nova mandata pervenirent [1]. Alterâ simul datâ ad baronem epistolâ [2], nuntiabatur optimè de rebus ab eo gestis judicatum esse, tirones jam deligendos esse et navem oneratam omnium rerum copiâ mox profecturam [3], Regem, exeunte anno, de insulâ Delphinâ pronuntiaturum, interea coloniæ alendisque Regis subjectis daret operam.

Ex his colligimus dubitatum tandem fuisse de sinceritate Benyowszky, propterea quod litteræ posteriores ex insulâ Franciæ delatæ essent, mense septembri et octobri 1774 scriptæ. Refert enim minister de Sartine, in libello jam anteà a nobis indicto, a se comparatas esse contrarias inter se baronis et præfectorum epistolas, et, cum ex dissidentibus iis verum negaret posse comperiri, unum a se consilium initum esse, inquisitores mittendi qui sibi sincera renuntiarent [4]. Usus est igitur Præpositorum auxilio, qui in Indiam, incipiente anno 1776, profecturi erant, ut in locum præfecti Law succederent, ideoque, in statu quo essent res ad hoc tempus permanere jussit.

Ex mandato Regis, X° die februarii 1776 dato, de Bellecombe, qui non infimo loco rei militari præerat [5], et Chevreau rationalis, dum in Indiam iter faciunt, colonias gal-

(1) C⁵ 6. Maillart au ministre, 14 mai 1776.

(2) Vicesimâ die maii 1776 recepta est a barone. — C⁵ 6. Benyowszky au ministre, 2 juin 1776.

(3) Quam navem, nomine *Sirène*, ad Castellum Delphini fractam esse, jan. 1776, novimus ex epistolâ procuratoris ad min., 14 mai 1776.

(4) C⁵ 8. Rapport de Sartine au roi, 22 mai 1778.

(5) Maréchal de camp.

licas inspecturi erant. E Portu Ludovici in Britanniâ solverunt XXVI° martii 1776, Goreæ sex diebus manserunt et X° augusti die in insulam Franciæ pervenerunt. Inde, cum a procuratore omnium exemplaria chartarum accepissent, quæ de rebus insulæ Delphinæ tractarent, profecti I° septembris et paucos dies in insulâ dictâ *Bourbon* commorati, XVII° septembris in portum *Tamatave* cum navigiis duobus intraverunt, quorum minori notissimus postea vir la Pérouse præerat (1). Hic cum paucos indigenas invenissent, ex his per interpretem quæsitum est num baronem aut ejus milites nossent, commerciumque quale gereretur; qui vero responderunt nunquam baronem a se visum nec milites ejus, sed, se, quod hæc mercatoribus frequentissima olim statio, esset nunc, interrupto commercio, ab iis deserta, vehementer dolere : vetuerat enim baro, ne mercator ullus insulam Delphinam a Castello Delphini ad sinum *Antongil* capere auderet, nisi ipse licentiam dedisset. Inde, inquisitores in portum *Foulpointe* delati sequenti die, hoc in loco quatuordecim milites cum duce uno equite de Sanglier et quibusdam scriniariis inspexerunt, qui casis inhabitabant semirutis, olim intra exiguum vallum societate Indiæ utriusque ædificatis; necnon regem iis *Hiavi* adire datum est, nudum et gracilem indigenam, cui submissi esse sexaginta principes narrarentur : qui, de interrupto commercio questus, se tamen amicum esse Gallis, ut fuerat semper, iterum professus est.

(1) C5 7. Journal de Bellecombe et Chevreau, 10 sept.-31 oct. 1776.... la frégate *la Consolante* et la pale *l'Iphigénie* commandée par le chevalier de la Peyrouse.

Vicesimo die septembris, cum in sinum *Antongil* advenissent, paucis militibus qui superstites essent, de more præsentati sunt a barone, sub titulo Inquisitorum et Regis legatorum. Quo facto, vallum intraverunt, quod vocabatur Castellum, casasque omnes, triginta circiter, in quibus milites habitabant et pulvis bellicus non sine magno incendii periculo servabatur invisere cœperunt, libello primum baroni proposito, in quo per capitula quid ab eo requirerent notaverant. Rationalis horrea inspexit, in quibus paucissimæ merces, confusè dispositæ, inventæ sunt. Oryzam aut pecuniam habere se tabularius negabat neque ullam expensorum posse rationem dare [1].

Dum ejus responsa baronisque præpararentur, opera varia et stationes visitare instituerunt, primoque situm *Louisbourg* bello aptissimum esse existimaverunt, cum in peninsulâ inter mare et flumen esset, sed id periculosum gravissimumque esse quod in palude mediâ sæpe inundatio fieret, etsi hujus paludis infima pars aggere esset adimpleta, in quo canabæ ædificatæ essent paleâ intextæ et arundinibus. Quamobrem Benyowszky ipse confessus est, nisi Rex sexcentos ibi milites semper habere, et, quotannis, vicies centena millia lib. expendere vellet, melius esse maturare ex loco cedere [2]. Vallo autem, centenas tesas circum quadrato, castellum dictum *Fort-Louis*, domus ducis, casæ et horrea continebantur. Castellum novem tesas in longitudinem, duodecim in latitudinem patebat, cum tribus angulis, quo-

(1) C5 7. Journal ou notes détaillées des opérations de MM. de Bellecombe et Chevreau.... Journées des 21 et 22 sept. 1776.

(2) Ibid.

rum in quoque tormentum unum statutum erat. Præacutis sudibus in arenâ fixis vallum munitum erat, in altitudinem quatuor pedum, quæ materies jam carie consenuerat : sed cum nova omnia essent, non plures quam mille libras opere fuisse absumptas apparebat. Domus autem baronis, sine tabulato, sexaginta pedes longa, paleâ et telâ tegebatur, tribus cubiculis divisa : quam juxta erant duæ ædiculæ unius cubiculi capaces, ligno exstructæ, nonnullæ casæ et valetudinaria aquâ corrupta. Quibus ædificandis viginti millia lib. omnino expensa esse videbantur : sed ædificia hæc propter cariem reficienda ab imo erant [1]. Si enim ultra duos pedes foderetur, aqua exsudabat.

Vicesimo et octavo die septembris, per flumen ad Salubrem Campum inquisitores scaphis convecti sunt [2]. Medio itinere castellum erat, dictum *Fort Saint-Jean*, quod vallo corrupto et fossâ muniebatur. Hic novem milites cum servis quibusdam habitabant ; qui quidem salubri cœlo se frui non negaverunt. Cum autem vespere Campum attigissent, feracem satis esse agrum, sed graviorem esse tempestatem opinati sunt, quia montibus eminentibus campus clauderetur et nebulæ continuæ jugis insisterent. In castello hujus stationis, dicto *Fort Auguste*, quinquaginta pedes lato, ad quod per scalas ascenderetur, decem milites inventi sunt. Inde, cum ex alto loco campus omnis prospiceretur, et inquisitores interrogarent ubi esset urbs nova a barone in mappis variis coloribus descripta, ubi viæ, ubi consiti agri, statim ne in-

(1) C[5] 6. Résultats fâcheux de l'établissement de Madagascar. Rapport de La Pérouse, commandant la pale *l'Iphigénie*.

Mensuras omnium ædificiorum ex eâ relatione sumpsimus.

(2) Comitabatur eos la Pérouse.

digenarum quidem viculum in conspectu esse, desertaque omnia intellexerunt non sine stupore. Una apparebat casa militum semiruta.

Cum igitur quærerent cur fertilis regio ab incolis esset derelicta, responsum est a quodam quadraginta vicos hic exstitisse ante adventum Benyowszky, sed bello destructos esse : nunc tamen ad ripas, pace compositâ, lentè reduci incolas qui agros colere inciperent. Rogantibus iis num essent sibi stationes inspiciendæ in interiore parte insulæ, respondit Benyowszky a se milites esse revocatos ob paucitatem suorum, viam autem quam ad eas direxerat, infectam esse indigenarum odiis et quod non facultates haberet [1].

Postquam reversi sunt ad sinum *Antongil*, convocaverunt principes qui in circuitu sinus indigenis præerant, quorum septem die tricesimo septembris convenere. Inter eos præcipui erant et potentissimi duo, nomine *Raoul* et *Dianmanou*, qui triginta servos et boves quinquaginta sibi quisque possidebant. Ceteri non plures quam decem servos et boves totidem habere reputabantur. Qui, cum coram barone interrogarentur, etsi eum timere viderentur, tamen responderunt se amicos Gallis fore, sed baronem aggressos esse quod non esset consuetudo cum tot militibus mercatum venire, ob timorem in interiores insulæ partes confugisse, sed, ubi sibi redderentur sui vici, fœdera iterum inire velle ; quod quidem factum est, magno indigenarum gaudio et magnâ pulveris et boum consummatione [2].

Nunc vero explicandum est quid de operibus tot ac tantis

(1) Journal...., journée du 20 sept.
(2) Ibid. Journées des 30 sept. et 1er octobre.

sæpissimè a barone laudatis judicaverint inquisitores (1).

In castello *Louisbourg*, quod coloniæ caput erat, de aggere in paludibus edito nihil comperiri potuit, in quo efficiendo novem millia lib. essent expensa. Via a castello ad urbem *Louisbourg* confecta nihil nisi semita erat : nec potuit inveniri emissarius quidam paludis, nec fossa alia, cujus purgatio notabatur in rationibus.

In insulâ d'Aiguillon multa pecunia in horto colendo et casis ædificandis fuerat consumpta ; nihil esse in insulâ inquisitores dicunt, ne vestigia quidem ædificiorum. De viis duabus, quarum sumptus ad triginta millia lib. æstimantur nihil se compertum habuisse, se nusquam vias perspexisse, omnia denique opera quæ grandi sermone baro enumeravisset perinde ac si urbem in Campo Salubri condidisset, nihil nisi somnia esse confirmant ; pro urbe tugurium unum esse. Idem referunt de quibusdam aliis stationibus, quarum alias re fundaverat baro, alias (ut *Manourou* et *Tamatave*) ne uno quidem milite custodiebat, nomine tantum notas. Pro damno videbantur fore pleraque expensa. Viæ quæ in mappis a barone describuntur et quibus littora insulæ inter se junguntur, nunquam vel inceptæ sunt. Inter expensa interpretum qui in insulam missi sunt ut loca recognoscerent aut boves emerent, quædam extra ordinem esse et sine ratione notantur : inquisitores affirmant omnia expensa hujus generis esse et in numerum extraordinariorum posse conferri.

(1) C⁵ 4. *Protocole du génie*. Ordres du baron de Benyowszky. — Remarques et observations de Bellecombe et Chevreau sur les fortifications, bâtiments civils et autres.

Quid plura? Quod prætorium a barone vocatur casa est; quod castellum vocatur, vallum apparet esse; quod domus, tuguriolum.

Cum vero a Benyowszky quæsitum est de suis expensis, negavit se rei nummariæ vel mercatoriæ gnarum unquam fuisse, quam per rationales ex insulâ Franciæ missos ministrari oportuisse opinaretur : non igitur se respondere posse de eorum gestis [1]. Tabularius autem, nomine Besse, qui, interemptis tribus antecessoribus, instituente Benyowszky, in locum eorum successerat, quatuor ante annis Loriente rhedarius fuerat in familiâ cujusdam cursûs publici præpositi, nomine Monistrol : se suæ provinciæ ordinationem planè ignorare impudentissimè confessus est; ideo nihil in libellis reperiebatur [2]. Ob confusionem sincerè inquirendi facultas non dabatur. Inquisitores dicebant fortissimum in bello militem esse posse baronem Benyowszky, sed in pace formidandum certè rationalem esse [3].

Libellum tamen Benyowszky scripserat in quo inquisitoribus exponebat quid efficere voluisset, quidque effecisset : in quo libello inter cetera notandum est incolarum totius insulæ numerum, quem postea ad terdecies centena millia auxit, ab ipso ad ducenta et quinquaginta tantum millia contractum esse : quo magis mirandum nobis videtur eum cum viginti millibus armatorum uno die congredi po-

(1) Journal de Bellecombe et Chevreau. Journée du 23 septembre.

(2) Journal...., journée du 24 sept.

(3) Ibid., 26 sept. Toutes les opérations de recette et de dépense sont dans le chaos le plus parfait.... Nous sommes convaincus de l'impossibilité de statuer rien sur tout ce qui s'appelle recette, dépense et consommation.

Confirmat hæc relatione suâ la Pérouse.

tuisse, ut referunt Commentarii ejus, aut etiam cum millibus quinque, ut ipse in epistolâ quâdam scribit. Sed habemus inquisitorum notulas de eo libello baronis, e quibus aliquid sumere non inutile videbitur.

Manifestum est, si notulæ perlegantur, nulla jussa vel mandata accepta esse a barone, exceptâ epistolâ ministri de Boynes, martio mense 1773 scriptâ et antea a nobis prolatâ. Causam controversiarum et nimiorum sumptuum has litteras imprudentis ministri fuisse inquisitores reputant.

Varia opera fisco regali damno prodigioso fuisse affirmant : vallos in terrâ fixos et ligno alligatos, casas paleâ et arundinibus intextas pro munitionibus et castellis et domibus numerari : nulla se viarum ullo in loco vestigia vidisse [1]. Cum baro in responsis suis procuratorem Maillart argueret, respondent inquisitores ex tabulis et numeris constare, amplius quam centum millia argenteorum in comportandis mercibus ex insulâ Franciæ expensa esse : quæ, cum in horrea in statione *Louisbourg* receptæ essent, ipsi non potuerunt in tantâ confusione rerum omnium recognoscere quem in usum essent absumptæ : ergo, propter licentiam, multa periisse necesse fuit [2]. Nec melius cognoscere datum est num boves, servi vel oryza ex insulâ Delphinâ exportata essent. Unum pro certo habebatur : cum baro ad procuratorem scripsisset se magnam habere oryzæ copiam et boum exportandorum, missa est navis quâ onerarentur

(1) C⁵ 7. Réflexions et observations de MM. Bellecombe et Chevreau.... sur les répliques et réponses que M. le baron de B. a faites à leurs demandes et questions. Article 1er, article 5.

(2) C⁵ 7. Bellecombe et Chevreau au ministre. Foulpointe, 16 oct. 1776.

CCC millia oryzæ : baro autem non amplius quam XXX millibus traditis, pro reliquo servos obtulerat. Fateri baro debuisset bello quod ab initio cum indigenis gessit interrupta esse commercia ; hanc esse causam, non procuratoris invidiam, quare mercandi facultas non daretur [1].

Erraverat baro, cum se missum esse credidisset ut insulam subigeret : sed dominatio, quam instituisse se jactabat, non visa est re valere.

Nam qui, convocatione inquisitorum, congregati sunt principes, pauperes erant reguli, qui non amicitiâ sed timore Gallorum ferebant jugum, et non sinè pugnâ subacti erant. Quo tempore baro Campum in Salubrem castra transferri jussit, qui hanc partem vallis incolunt eum intercipere conati sunt : quo facto, coactus est in auxilium sibi vocare *Sambaricos* qui circa *Manahar* vivebant ; qui, vicis hostium incensis, agris eorum donati sunt a barone, sed ad hunc diem nondum potiti. Hoc fuit primum baronis cum indigenis bellum. Altero regem *Seclavorum* aggredi voluit, ad quod auxilia omnium subditorum principum convocavit. Proximus autem hujus regis regioni, *Hiavi*, qui in *Foulpointe* dominabatur, XXV viros tantum misit, sed et cæteros suos et qui sub suo dominio essent principes monuit, ut bello abstinerent. Quo accidit, ut baro, nudatus auxiliis, cum suis militibus ad Castellum *Louisbourg* regredi sit coactus (hoc est cum *Seclavis* bellum cujus anteà magnificam mentionem in epistolis baronis invenimus). De tributis baro confirmavit quatuor boves ex vico quoque et certam

(1) C⁵ 7. Réflexions...., article 8.

oryzæ copiam comportari debere; sed hæc tributa, nisi armis coercerentur, ab incolis persolvi posse non videbantur (1). Cum autem fœderum exemplaria inquisitores requisiverunt, respondit baro se ea in Franciam misisse. Numero socios indigenas tria millia posse attingere judicaverunt, cum baro sex et viginti millia declarâsset.

Ex baronis igitur responsis et inspectione inquisitorum constat omnes descriptiones quas ille ministro obtulerat fallaces esse : non esse debellatam insulam, sed ne in circuitu quidem sinus *Antongil* securos esse Gallos, nullas esse urbes, castella nulla, commercium nullum, bellum illud clarissimè cum *Seclavis* gestum et in epistolis laudatum sinè armis finitum : denique vicies centena millia lib. absumpta esse.

Consentiunt testimonia allegati jam anteà la Pérouse; eadem enim refert de bello ad flumen *Tingueballe* cum dictis *Saphirobay* et de altero cum *Seclavis* inito sed non ad victoriam adducto. Adjicit ille omnia ædificia coloniæ non ultra X millia lib. æstimari posse (2). Numerabantur tum non plures quam sex et octoginta milites, centum et viginti Galli, si militibus scriniarii et cæteri opifices adjicerentur (3). Europæi CCC morte interempti erant (4).

Cum autem la Pérouse cum barone colloqueretur, et ab eo quæreret quid fructus Galli ex coloniâ perciperent, res-

(1) Réflexions ..., art. 9. Note des dépenses faites pour Madagascar, non compris la perte de la *Sirène*, évaluée 250,000 livres : 1799, 100 l. 1 s. 15 d.

(2) Rapport de la Pérouse. C⁵ 6.

(3) Rapport de la Pérouse. État fourni par l'ordonnateur Coquereau, C⁵ 6. Journal de Benyowszky et Chevreau, 4 octobre.

(4) Ibid., 1er octobre.

pondit non esse magno emptum vicies centenis millibus lib. documentum quo minister disceret nihil parcè fieri posse in insulâ Delphinâ : quod si sibi totidem persolveretur et, quotannis, tirones quingenti mitterentur, non dubitare se quominus, post annos viginti, colonia multum valeret ; se populos subigere voluisse, *nunquam vero quid sibi minister proponeret planè intellexisse ;* sed facilius reputare coloniam veterem armis acquirere quam novam a fundamentis condere [1]. Addit his narrator se certiorem esse factum ne lineas quidem viæ ad occidentale littus ductas esse, neque interpretem Mayeur ad portum *Bombetoc*, ut baro litteris finxerat, pervenisse. Habemus hujus interpretis epistolam ad inquisitores scriptam, in quâ se interioris insulæ partes visisse prædicat, sed nihil de itinere ad Bombetoc significat : quibus [2] testimoniis baro mendacii iterum atque iterum convincitur. Ipse, cujus vitiosâ dispositione perdita colonia esse probaretur, audacter affirmabat, si Franci hoc incepto deterrerentur, se insulam oblaturum esse Imperatori, vel Borussorum regi, vel Indorum (gallicè *Grand Mogol*) : in quo vero audaciane an insania perspici possit dubitamus. Quid enim habebat ille quod offerret ?

Exclamant inquisitores : « En examinant le tout de sang-« froid, on peut s'écrier avec raison : Quel tableau ! Quelle « misère ! Quelle administration ! Quelle chimère ! Aujour-« d'hui, nous sommes convaincus, et tout le prouve, que « jamais le gouvernement n'a été entretenu dans l'erreur

(1) C⁵ 6. Rapport de la Pérouse.
(2) C⁵ 7. Lettre autographe du sieur Mayeur, 30 sept. 1776.

« comme il l'est encore depuis que M. de Benyowszky lui « rend compte de tout ce qui le concerne [1]. » Præcipuè, cum manu propriâ baro in rationum libello scripsisset : « L'ordonnateur (des Assises) a consommé cette somme « (65,000 l.) pour ses affaires particulières, » referunt coram barone ab ipsis inventas esse chartulas, quibus acceptilationes multorum inscriberentur et crimine defunctus Rationalis liberaretur [2].

Comparant denique res in insulâ Delphinâ gestas cum exitu infelicis in Guyanam recenter deductæ coloniæ : hanc esse tragœdiam dicunt, illam esse tristissimam quidem, sed minoris momenti ad hujus exemplar fabellam. Attamen, etsi gravissimè baronem incusent et mentitum esse probent, quod flagitiosum cuique videbitur, fortem corpore et animo eum mirantur qui aleam constanter sequi valeat et audeat [3].

(1) C[5] 7. Bellecombe et Chevreau au ministre, 16 oct. 1776.

« Plus nous relisons sa lettre du 20 mars 1775, moins nous concevons « comment un homme en place, à qui le ministre a donné des marques publiques de confiance, peut s'exposer à annoncer et à présenter comme cer« tains des succès et des avantages considérables dans l'entreprise dont il est « chargé, tandis que tout nous a démontré à chaque pas, pertes d'hommes, « dissipation d'argent et des effets envoyés et achetés pour le compte du roi, « désordre et confusion dans toutes les parties du service, mécontentement « et guerre de la part des naturels, fuite et abandon de dessus leurs terres; « enfin, le triste spectacle qu'offre à l'humanité le restant de nos malheureux « concitoyens qui ont échappé jusqu'à ce moment à l'ennemi (l'air pestiféré « de Madagascar), la crainte de la famine faute de riz, toutes ces calamités « ne semblent-elles pas s'être rapprochées et se confondre pour former le con« traste le plus frappant avec le tableau des richesses et de la prospérité à « Madagascar que M. le baron de Benyowszky s'est permis de présenter au « ministre avec l'intention de persuader? »

(2) C[5] 7. Bellecombe et Chevreau au ministre, 16 oct. 1776.

(3) C[5] 7. Journal de Bellecombe et Chevreau, 3 octobre.

« Il est difficile de rencontrer un homme plus extraordinaire et dans ses « idées et dans ses propos. Le désir de commander et le despotisme parais-

« sent ses deux passions favorites ; l'envie de guerroyer et de faire usage de « son sabre l'anime et l'échauffe souvent et *comme par accès;* à ces disposi- « tions qui semblent naturelles chez M. le baron de Benyowszky et qui le sont « en effet, il réunit une force de tempérament et une trempe d'âme peu com- « mune : ajoutons-y ses premières inclinations, d'abord abbé, ensuite page, « puis garde-marine, servant après l'empereur, le roi de Pologne, ensuite « finalement les confédérés; fait prisonnier par les Russes, il est conduit au « Kamtschatka. Que l'on fasse attention à la manière très remarquable qu'il « a employée pour quitter cet exil, le bonheur qu'il a eu jusqu'à ce jour de « résister à ce climat-ci, et l'on verra que ce colonel hongrois, *âgé de trente-* « *sept ans, est fait et destiné pour les grandes aventures.* »

Elusisse videtur baro inquisitores cum se abbatem et navalem custodem fuisse narravit. Ad epistolam equitis Desroches, in principio hujus libelli nostri usurpatam, adjicimus indicem, manu ipsius baronis descriptum, stipendiorum suorum ab anno quarto decimo, in quo nihil de talibus officiis refertur.

# CAPUT VII

## DE FINE COLONIÆ ET BARONIS BENYOWSZKY

---

Quoniam inquisitores colonos reducendi potestatem non habebant, in eodem statu omnia permanere donec ex aulâ mandata reciperentur, et Rationalem nomine Coquereau simul cum barone rebus hoc anno præesse jusserunt [1].

Hæc vero ubi cognita sunt, Benyowszky vacationem temporariam sibi rogavit, ut valetudini suæ et uxoris curam adhiberet et tempestatem hiemalem in aliam insulam fugeret [2]. Qui cum ægrotare eum nossent, responderunt se ei licentiam abeundi daturos esse, dummodo res, absente duce, salvæ esse possent. Postquam autem baro rescripsit tantum valere legatum qui ab eo præponeretur, ut unum annum colonia pacificè regeretur, donec jussa Regis acciperentur [3], inquisitores, eodem die, licere ei renuntiaverunt, ut primum navigare posset, in vicinas insulas refugere, dum valetudo firmaretur.

(1) $C^5$ 7. Instructions pour le sieur Coquereau faisant fonctions de sous-commissaire de la marine, oct. 1776.

(2) Journal de Bellecombe et Chevreau, 30 sept. 1776.
$C^5$ 6. Benyowszky au ministre, 2 oct. 1776.

(3) Benyowszky aux commissaires, 2 oct. 1776. $C^5$ 7.

Quo facto, pecuniaque et ceteris rebus suppeditatis, quibus sequenti anno colonia sustineretur, ipsi in Indiam profecti sunt[1].

Cum adhuc quæ essent vera exposuerimus, nunc eâdem ratione explicandum est quomodo mentitus sit baro, qui in Commentariis se Regem electum fuisse ab indigenis dictitet.

Sic ab eo narratio componitur quam mendacii arguimus : februario mense 1775, anus indigena et serva proclamat baronem e genere veterum Regum oriundum esse, concio a principibus *Sambarivorum* convocatur ut baro proclametur *Ampansacabé*, id est, gentis hujus dictator, vel summus princeps ; ipse se in hâc regione potestatem in liberâ natione stabilire voluisse [2] confirmat et sexto decimo die augusti 1776 Regem fuisse appellatum in concilio principum [3]. His addit se officium suum, ubi advenerint inquisitores abdicâsse, et quarto die octobris ad concionem vocatos esse principes, in quá se extra jus Regis Francorum nunc esse professus sit et quid ipsi juberent rogaverit ; cui respondissent principes se ei subditos esse et Francis bellum illaturos, ni Regem suum venerarentur [4]. Ipse igitur jurejurando confirmat se omnia hæc ad Regem Francorum relaturum et cum eis semper esse mansurum. Sexto die octobris proficiscitur, veste indigenarum indutus, comitantibus

(1) Solverunt e sinu Antongil V° oct. die, sexto et X° in Foulpointe portu morabantur; XXXI° profecti sunt in Indiam.

(2) Mémoires de Benyowszky, II, p. 308. — Idem Britannicis ministris proposuit, ut fœdus secum inirent et vassalus ipse fieret Regis Britannorum.

(3) Ibid., p. 417 et seq.

(4) Ibid., p. 440.

eum suis militibus : in cœtu nationis tres dies commoratur, donec nova jura proponantur. Decimo autem die ejusdem mensis, publico edicto, *signis omnium principum firmato*, *Ampansacabé* appellatur (ut ait gallicè, *chef suprême de la nation*). Vicesimo die octobris, in concione pronuntiat instituendum esse consistorium, cujus auctoritate agat *Ampansacabé*, cujus etiam participes rei bellicæ, navali, fiscali, negotiatoriæ, rusticæ, judiciali sint præficiendi [1]. Destinantur in consistorium duo Europæi, sex indigenæ. Mox se profecturum nuntiat, ut cum Rege Francorum fœdera ineat, et constituto exercitu qui pacem tutetur, constituto in sui locum consistorii præside uno, quarto decimo die novembris solvit e portu [2]. A primis octobris diebus ad hunc diem affirmat se a Francis separatum et more indigenarum vixisse.

Hæc omnia mendacia sunt et ad decipiendos Francos et Europæos, cum quibus posteà societatem iniit, allegata.

Primum habemus chartas in impedimentis baronis inventas, postquam occisus est, quæ continent exemplar jurisjurandi a principibus insulæ Madagascar *primo die octobris* 1776 *patrati*, aliud quoque exemplar licentiæ in concione principum baroni datæ, fœdera ut cum regibus in Europâ tractaret.

Sacramentum indigenarum in Commentariis decimo die octobris, in chartâ autem primo die peractum esse refertur. Concio de fœderibus ineundis, ex Commentariis vicesimo

(1) Mém., II, p. 454. Aux offices de ministres d'État dans les départements de la guerre, de la marine, de la finance, du commerce, de l'agriculture, de la justice.

(2) Ib. II, p. 458-464.

novembris convocatur, ex authenticâ chartâ tertio die octobris. Ergo testimonia ipsius baronis inter se pugnant.

Sed et utraque charta primo et tertio die octobris nomine *Hiavi* principis subsignatur qui in statione *Foulpointe* ab inquisitoribus visitatus est nono die octobris, ibique oryzam serebat, quique non potuit ignaris iisdem et præsentibus, in sinu *Antongil* tertio die ejus mensis adesse (1).

Non abdicavit officium suum baro qui missionem temporariam rogavit II° octobris die, in insulam Franciæ transmigraturus. Non potuit congregare concionem omnium principum insulæ primo vel tertio die octobris, cum his diebus ab inquisitoribus visitatus sit, primo et secundo die mensis epistolâ inquisitores rogaverit, iique responderint, primo denique die mensis concio (vel *Cabar*) septem vicinorum principum habita sit, cui nec *Hiavi* nec quidam *Lambouin*, qui chartas manu subsignasse dicuntur, interfuerunt (2). Si autem mensis augusti XVI° die Rex appellatus esset, plaudentibus, ut narrat, Francis, quomodo res tanta inquisitores, mense octobri, fugisset?

Nemo, sequentibus annis, Francorum talia suspicatus esse videtur. Quid dicam de hoc *Conseil d'État*, de his *ministres d'État pour les départements de la guerre, de la marine, du commerce?* Miraculum majus esset hæc celari potuisse quam esse facta. Ipse baro in ultimis diebus vitæ

(1) C⁵ 7. Journal de Bellecombe et Chevreau, 9 oct. 1776, Foulpointe. Hiavi est occupé à faire faire des plantations de riz.

(2) C⁵ 7. Journal de Bellecombe et Chevreau. Journées des 1, 2, 3, 4 oct. 1776. — Lettres du baron des 1er et 2 oct. 1776. Réponse des inspecteurs, 2 oct. 1776.

suæ, epistolam quam habemus, ad regem Hiavi misit, in quâ nihil ad fabulas quas narramus alludit (1).

Hæc omnia ab eo ficta sunt eodem modo quo epistolas ejus illustratas esse jamdiù novimus.

Res nunc ad finem ordine exponamus.

Baro licentiam ab inquisitoribus habebat, se, valetudinis causâ, in insulam Bourbon recipiendi. XXV° nov. 1776 die, in suum locum commisit equitem de Sanglier, donec ipse reverteretur. In mandatis ab eo equiti relictis, nihil reperitur quod fabulam regni ejus ullo modo comprobet; contrà, jubet illum ab indigenis cavere, glomeratos in *Louisbourg* castello milites tenere : ne verbo quidem uno regnum et concilium et ministros et exercitum esse significat (2).

Eques de Sanglier ducis personam gessit donec, inquisitorum relatione acceptâ, minister de Sartine jussit ex voluntariorum legione centuriam formari, quæ in Castello Delphini militaret et mercatores tueretur (3). Desertus est sinus *Antongil* nec quidquam ibi remansit quod calamitatem testaretur. Anno autem 1782, januario mense, in insulam Franciæ reducti sunt superstites milites, finisque fuit coloniæ (4).

Interea baro de Benyowszky in Franciam non jure re-

(1) C5 8. Lettre du baron de Benyowszky au chef Hiavi, 17 oct. 1784. Copie certifiée par M. de Souillac.

(2) C5 8. Instructions laissées à M. le chevalier de Sanglier. Foulpointe, 25 nov. 1776. — At si Commentariis credatur, omnia hæc plane nosse milites Baronis videntur.

(3) Rapport de Sartine au roi et ordonnance conforme, 22 mai 1778. C5 8. C5 8. Sanglier à Sartine, 2 septembre 1778.

(4) C5 8. Sanglier au ministre, 9 oct. 1782. Rapport du même. Supererant 1° die jan. 1781, quadraginta octo milites et ipse eques de Sanglier.

versus est, mense aprili 1777 : libellum ministro tunc obtulit, in quo de insulâ Delphinâ disserebat, sua facta exponebat et societatem se instituturum pollicebatur, dummodo Rex sibi soli jus mercandi concederet in XXX annorum tempus, in littoribus Africæ a promontorio Bonæ Spei ad mare Erythræum necnon in insulâ Delphinâ [1] in quâ coloniam conderet. Minister eum ad superiorem ordinem traducere pollicitus est [2] et licentiam dedit in Hungariam eundi, quâ in regione suis rebus consuleret. Insigni ordine Sancti Ludovici decorus, sex simul millia lib. hoc anno accepit et cum pecuniam multam repeteret quam se pro publico solvisse contendebat, decem millia statim solvi jussit minister [3]. Postquam ex Hungariâ reversus est, officium militare suscepit (*brigadier*) et quotannis stipendium IV millium lib., donec in exercitu locum haberet [4]. Sed cum ei centum et quinquaginta millia lib. exsoluta essent, etsi rationes ab eo relatæ non valere visæ essent [5], in Austriam ire prætulit ut imperator operâ ejus uteretur : quo factum esset ut supprimerentur annua ejus stipendia, nisi Rex, bene meritum de se baronem reputans, ea in futurum persolvi jussisset [6].

(1) C[5] 8. Benyowszky au ministre. Versailles, 25 avril 1777. — 6 sept. 1777. — Plan de colonisation à Madagascar.

(2) Le grade de brigadier. C[5] 8. Benyowszky à Vergennes, Wieliczka, 15 jan. 1778. Vergennes à Sartine, 2 fév. 1778.

(3) C[5] 8. 10e pièce, 5 nov. 1777.

(4) Ibid. 1re pièce, avril 1778. Sartine à Benyowszky, Versailles, 14 juin 1778. Nuntiat eum in officio constitui mense nov. 1778. Centum tria et quadraginta millia lib. exsoluta erant Baroni.

(5) C[5] 8. 1re pièce, avril 1778.

(6) C[5] 8. Pièce datée du 26 juil. 1778.

Ibid. Lettre de Sartine à Benyowszky, 3 août 1778. Permission d'aller servir l'Empereur.

Etsi minùs severè rationes ejus exploratæ essent et indulgentiâ magnâ ergà eum omnes usi essent, propterеà quod advena esset, etsi ab ipso testificata expensa contra legem esse viderentur, longè repetitas vindicationes iterum exercuit, dec. mense 1779, cum in Austriam iter esset facturus ; quas quidem admitti posse minister negavit [1]. Ille autem, postquam aliquandiu in Imperatoris exercitu militavit, in Franciam reversus, inde in Americam translatus est, ut insurgentibus auxiliaretur, sed cum ibi se dignum officium non reperisset, in insulam Sancti Dominici venit, ut ibi militari rei applicaretur : in quo loco inquisitorem Bellecombe revisit, coloniæ huic præfectum, cui se a ministro in Americam missum esse falso declaravit et denique in Franciam nave relatus est XIV° aprilis 1783. Officium suum militare adhuc retinuerat [2].

Ipse posteà scripsit ad scriniarium quemdam gallicum nomine Semonin, se in Austriam et in Americam abiisse ut de insulâ Delphinâ dissereret et auxilia sibi compararet, sed hoc sibi inceptum non successisse [3] ; quod minime verum videtur. Tertio autem decimo die junii 1783, comiti de Vergennes suasit ut libellum novum de coloniâ in insulam Delphinam deducendâ ministro comiti de Castries offerret, in quo ipse iisdem stultitiis delirare videtur, quas in epistolis ejus legimus. Tantâ autem audaciâ loquebatur ut ipse comes de Vergennes scriberet hunc Benyowszky esse unicum

(1) C⁵ 8. Rapports au ministre, 7 et 24 déc. 1779.
(2) C⁵ 8. Rapport de Bellecombe à Castries, Saint-Domingue, 28 décembre 1782. Thévenart à Castries. Lorient, 14 avril 1783.
(3) C⁵ 8. Benyowszky à Semonin. En mer, au Cap, 18 oct. 1784.

ducem qui in insulâ Delphinâ interiore dominatus esset [1]. Non tamen de ejus regali titulo et regno quidquam aut in libello aut in epistolâ comitis reperitur.

Mense novembri, minister de Vergennes certior fiebat per litteras cujusdam Dumas, ex-præfecto insulæ Franciæ, baronem (qui nunc comitis titulum gerebat) in Britanniam Magnam transiisse et ad se accersivisse uxorem et liberos : ex quo timendum esset ne Anglis persuaderet ut Delphinam insulam pro Americâ acquirerent.

Mox vero famâ perlatum est baronem cum navibus quinque et magnâ manu voluntariorum ex omni gente contractâ, jam navigaturum esse ad insulam Delphinam ut coloniam hic conderet sub dominio Britannorum. Itaque a Rege legatis suis in insulis Franciæ et Bourbon mandatum est, baronem non aggrederentur, sed tantummodo interrogarent : quo jure in hâc insulâ coloniam constitueret [2].

Ille vero, cum a Britannicis ministris esset exclusus, societatem cum privatis quibusdam iniit, qui, quoniam pecuniâ non satis valebant, in Americam maio 1784 profecti sunt. Hinc societati adjuncti sunt multi, inter quos negotiatores duo Zollichoffer et Meissonier, cum quibus pacta sunt fœdera [3], quinto die dec. 1784. His fœderibus quorum

(1) C5 8. Vergennes à Castries. Versailles, 19 juin 1782.
Non legerat Vergennes relationem inquisitorum.

(2) C5 8. Vergennes à Castries, 28 nov. 1783.
Dumas à Vergennes, 16 nov. 1783.

(3) C5 8. Relation abrégée de l'établissement projeté par le comte de Benyowszky à Madagascar, par le capitaine Paschke, américain, l'un de ses compagnons, déc. 1785. Ibid. Copie du contrat avec le comte de Benyowszky et sa compagnie, certifiée par Sandoz et transmise par le vicomte de Souillac, gouverneur des îles.

exemplar habemus a procuratore pactorum ipsorum proprià manu subsignatum, statuebatur fore societatem novam inter baronem ejusque socios, ex alterâ parte (quorum sociorum inter nomina reperiuntur nomina quorumdam qui cum barone militaverant, sed qui certissimè rem ignorabant) (1), et dictos Zollichoffer et Meissonier, ex alterâ parte; pollicebatur baro se pro expensis et operâ eorum navem quâ veheretur servis oneraturum esse, ut in utilitatem sociorum venumdarentur. Hoc servorum commercium cum esset coloniæ condendæ præcipua causa, per bella se id multiplicaturum baro pollicebatur (2). Rei novi participes sua expensa in duplum primâ navigatione recepturi erant, in posterum dimidiam partem quæstûs : ad hæc duobus millibus jugerum donabantur juxta fictam urbem *Mauritaniam*, quos agros sibi ab indigenis olim concessos fuisse affirmabat.

His comprobatur a barone socios dolis esse deceptos eodem modo quo ministros Regis tamdiù deluserat, et demum pro regno commercium esse servorum. Vicesimo die oct. 1784, baro cum LXII circiter sociis, in nave satis magnâ (3) armis, pulvere ante omnia oneratâ (4), e portu Baltimore solvit. Labore multo Americæ littora legerunt et cum.

(1) Mayeur interpres (qui tum in insulâ Delphinâ morabatur et in gallicis copiis militabat, quem baro procuratorem suum esse et prædia in insulâ suâ custodire fingebat), Corby, Mallendre, la Boulaye, ex legione voluntariorum, quorum nomina, insciis ipsis, suæ societati adjecit.

Hinsky, Texier fratres, Curtal, baronem comitabantur.

(2) Contrat.... Art. 2. Comme le point principal dudit établissement dans l'île de Madagascar est pour la traite, trafic et exploitation des noirs pour l'étranger, je m'engage de multiplier, autant qu'il sera en mon pouvoir, l'exportation desdits noirs en faisant le plus d'expéditions possible.

(3) Relation de Paschke.... un beau navire de 500 à 600 tonneaux, nommé *l'Intrépide*.

(4) Ibid. 300 tonneaux de poudre, 55 caisses de fusils de 25 chacune.

præterito promontorio Bonæ Spei, ventus impediisset ne sinum *Antongil* peterent, quo iter esset, fame propè confecti, in parte occidentali insulæ Delphinæ, non longè a promontorio Sancti Sebastiani extremo junio 1785 appulerunt ad oras in quibus regnabat unus ex falso fidelibus dictis a barone princeps nomine *Lambouin*. Ibi benignè acceptus est baro a timidâ gente, non perindè tamen ac si rex esset, et sinè morâ exposuit pulverem et arma. Sed primo augusti die, noctu aggressus est exigua castra Rex Seclavorum, quocum pacem servare baro nolebat, propterеà quod ex hujus regno servi contrahi possent plurimi. Qui in nave erant commorati, dimidia circiter pars nautarum, noctu fremitum perceperunt ; cum, orto sole, nihil nisi deserta castra prospexerunt, anchoras perterriti sustulerunt, et in portu quodam Afrorum contra sito, navem vendidêre, ut negotiatoribus in Americam pecunia reportaretur [1]. Navarchus autem gallicus quidam, qui navem emerat, de rebus gestis eorum certiorem fecit præfectum insulis, vicecomitem de Souillac. Ille primum opinatus est baronem cum suis omnibus interiisse, sed paulo post cognovit eum ex insidiis indigenarum elapsum, in locum dictum *Angoutsy* pervenisse, qui locus triginta leucas abest a portu *Foulpointe*. Hoc iter scaphis confectum ex epistolâ baronis quæ posteà capta est a Gallis comperimus et eum XII° octobris in portum *Angoutsy* delatum fuisse [2].

(1) C⁵ 8. Relation abrégée du capitaine Paschke. — Is erat centurio in exercitu Americanorum. Delusus est a barone qui mira ei pollicebatur. In Franciam reversus, a ministro petivit ut in patriam gratis reduceretur (C⁵ 8, Paschke au ministre, Brest, 20 mars 1786).

(2) C⁵ 8. Benyowszky aux siens, 17 oct. 1785.

Ibi mercatores publicos et stationem gallicam invadit, et tormenta rapit, et ex eo loco quem vocat *Mauritaniam* urbem litteras præfectis gallicis mittit quibus se esse *Ampansacabé* denuntiat et eis interdicit servorum commercio, quod minimè dignum esse dicebat benignitate Regis : se esse dominum hujus insulæ consensu populi adjicit. Eodem tempore sex Europæos inter quos erat quidam baro Adelsheim, natione Germanus, et octoginta indigenas miserat qui stationem *Foulpointe* omnesque merces Gallorum prædarentur [1]. Quod sinè dubio factum esset, nisi forte huc navigium recenter advenisset, cujus viribus et minis perterriti prædones ab incepto destiterunt. Baro ad gallici navigii rectorem scripsit se esse sub protectione Imperatoris exemplarque addidit epistolæ sermone latino scriptæ, nomine Josephi II et comitis Cobenzl signatæ, quam eodem modo fabricatam esse censemus quo fabula regni ceteraque mirifica ejus mendacia, quoniam mense septembri, anno 1783, data sit, eo tempore quo in Britanniâ baro auxilia requireret. Vicecomes igitur de Souillac, cum fidelem esse regem Hiavi cognovisset, neque eum in partes baronis, quanquam hujus epistolâ fuisset sollicitatus, adduci posse opinaretur, in quâ Benyowszky sibi in hostium numero Gallos esse diceret, statuit exspectare finem hiemis, et mense aprili 1786, milites mittere qui baronem caperent, quem cum paucissimis in statione Angoutsy morari fama perferebat.

Nono igitur die maii 1786, LX milites missi sunt in nave

(1) C⁵ 8. Benyowszky, Epist. ad suos, 17 oct. 1785.
Souillac au ministre, 12 fév. 1786.

unâ, qui rem perficerent. Vicesimo quarto die mensis ejusdem, in littore incognito juxta Angoutsy mane expositi sunt et sclopetis statim lacessiti; viâ tandem per saltus et silvam repertâ, ad vicum ventum est, in quo vallum prospiciebatur, sex tormentis et centum circiter indigenis munitum. Cum duo et quadraginta milites, instructâ acie exiguâ, appropinquarent, baro ipse frustra aggressus est eos tormentis. Vallum vi expugnatur : baro plumbo cominùs perfossus moritur : ad unum ceteri capiuntur. Vicus incensus est et pax cum indigenis confirmata [1].

Inter duodecim Europæos captos, duo Galli erant, Germanus unus, cæteri nautæ americani : duæ mulieres venerant cum iis. Omnes a barone decepti fuerant, qui pauperibus viris aurum et fortunam pollicitus erat.

In librario baronis inventæ sunt chartæ quarum una jusjurandum principum anno 1776 datum referebat, secunda, quâ permittebatur cuidam nomine Magellan [2] in Europâ licentia agendi cum Regibus et singulariter cum Rege Lusitanorum, tertia quâ eques Hinsky generalis legatus in insulâ nominabatur, quarta quâ baro Adelsheim minister regalis appellabatur. Omnes hæ litteræ datæ erant in castris *Ankourou* et in prooemio ferebant : *Mauritius Augustus Dei gratiâ ampansacabè de Madagascar*, et in fine : *Mauritius Augustus*. Signaverat eas archicancellarius de Graterol. Quem vero his ultimis temporibus decipere po-

(1) C⁵ 8. Rapport du capitaine Larcher, chef de l'expédition, 22 août 1786.

(2) Jean-Hyacinthe de Magellan, alias Magalhaês, Talaveræ natus anno 1723, in Britanniam migravit anno 1764, ibique Societatis Regiæ sodalis electus, physicæ non ignarus, sed Hungari nostri dolis impar. Mortuus est anno 1790 nec unquam pecuniam recuperavit quam baroni commodaverat.

tuit ? Neque urbs, neque subjecti erant in insulâ. Mirum est ejus socios usque ad finem fideles fuisse, nisi quod atrocis animi iras formidarent, qui mortem, testibus ipsis adversariis, captivitati prætulit.

# CONCLUSIO

Commentariis sub nomine baronis Benyowszky editis a Magellan, ex chartis ab ipso traditis, fidem nullo modo adhibere licet. Sæpenumero contradicere eos epistolis ipsius baronis et libellis propriâ ejus manu signatis probavimus : epistolas easdem mendacii convicimus, collatis multorum testimoniis, sive de rebus, sive de rationibus, sive de certis personis loqueretur. De coloniâ autem quid dicendum ? Nisi aliud voluisse ministrum, aliud baronem ; temeritate comitis de Boynes summam rerum commissam esse viro qui in insaniam incidere videretur, adeo difficile est intelligere cur tot ac tanta finxerit. Non enim insulâ potitus est, non regno; quo tempore regnare se dicit, eodem fame consumebatur. Tantâ in mentiendo audaciâ usus est, ut eum non mentiri permulti crediderint, quia vires ingenii humani impares esse tot rebus fingendis existimaverint. Qui cum ducentis et pluribus militibus opibus Gallicis fretus coloniam condere non potuerat, quid sperare potuit cum se tyrannum indigenis cum duodecim comitibus obtulit ? Vesani fuit hujus finis.

# INDEX MONUMENTORUM ET LIBRORUM

## IN HOC OPUSCULO LAUDATORUM (1)

### I. — Archives du ministère des colonies

a) Fonds Madagascar. C[5].

C[5] 3-C[5] 8 ; Correspondance générale, 1769-1786.

b) Fonds de l'Inde. C[2].

C[2] 84 : *Mémoire où l'on propose un établissement à Madagascar et où l'on s'attache à en prouver l'importance* (1er janvier 1773), par Charpentier de Cossigny.

### II. — Imprimés

*The memoirs and travels of Mauritius-Augustus, count de Benyowsky, magnate of the Kingdoms of Hungary and Poland, etc.*, written by himself. 2 vol. London, MDCCXC.

*Les mémoires et voyages de Maurice-Auguste, comte de Benyowsky, etc.*, écrits par lui-même et publiés d'après le manuscrit original. Londres, 1790 (2).

(1) De rebus in insulâ Madagascar a comite de Benyowszky gestis monumenta authentica adhuc edita sunt prope nulla; excipienda est relatio inquisitorum Bellecombe et Chevreau quam breviter exposuit H. de Curzon. Præterea, Nicholson in appendice ad editionem commentariorum duas tantum comitis de Boynes, quibus cum chirographo collatis utimur, plures autem successoris ejus de Sartine sed quasi inanes epistolas e gallico in patrium sermonem non sine erroribus transtulit Abbas quidem Alexius Rochon, qui in insulâ Franciæ tempore adventûs comitis de Benyowszky adfuisse contendit, de ejus navigatione scripta quædam edidit, quæ libelli hujus ad rationem non pertinent, ceterùm de coloniâ ab eodem conditâ, colloquiis celeberrimi viri la Pérouse potiùs edoctus fuisse videtur quam cognitione propriâ : posteà tamen de morte comitis vera, forsan e testibus, novit.

(2) Chirographum editores deposuerunt in Britannico Musæo (Ms. Department, 5359-5362). — Priori editioni adjectæ sunt mappæ, quarum exemplaria Lutetiæ in *Archives des colonies, fonds Madagascar*, adhuc exstant.

*Voyages et mémoires de Maurice-Auguste, comte de Benyowski.* Paris, 1791, 2 vol.

*The memoirs and travels of Mauritius-Augustus, count de Benyowsky.* From the translation of the original manuscripts by W. Nicholson, F. R. S., 1790, edited by captain Pasfield Oliver. 1 vol., London, 1893.

Alexis Rochon (abbé). *Voyage à Madagascar, à Maroc et aux Indes orientales.* Paris, an X, 3 vol.

Pauliat. *Madagascar,* brochure. Paris, 1884.

Pouget de Saint-André. *La colonisation française à Madagascar sous Louis XV.* 1 vol. in-12, Paris, 1887.

A. Grandidier. *Histoire physique, naturelle et politique de Madagascar,* volume I et atlas (1).

*Discours prononcé à la clôture du Congrès des Sociétés savantes, le 11 avril 1896* (*Journal officiel* du 12 avril 1896, p. 2074).

Henri de Curzon. *Un épisode de l'histoire de Madagascar au XVIII<sup>e</sup> siècle. Beniowsky d'après des documents inédits.* Extrait de la *Revue hebdomadaire,* 1896, in-16, 27 pages. Pièce.

(1) Hic continentur mappa insulæ necnon mappa vallis Antanambalana fluminis jussu Mauritii de Benyowszky descriptæ.

# APPENDIX

Archives du ministère des colonies. Fonds Madagascar.
$C^5$, carton 3, 1769-1773.

*Notes concernant M. le baron de Aladar de Beniowsky, 20 mars 1772.*

Cet étranger se qualifie *Baro Mauritius Augustus Aladar de Benyowsky, Sacratæ Confœderationis generalis regimentarius.*

C'est ainsi qu'il a signé les lettres qu'il a écrites à M. le comte de Mercy, ambassadeur de Vienne auprès de Sa Majeste. Il m'en a donné deux expéditions sous cachet volant par duplicata, dont une ci-jointe. M. de Aladar m'a dit qu'il est d'origine polonaise, qu'il est le treizième baron de son nom, que son grand-père passa en Transylvanie à l'invitation de l'Empereur, qui fit un état considérable à sa famille dans cette province, que Sa Majesté Impériale voulait repeupler. Le baron de Aladar, dans sa première jeunesse, a pris le parti des armes. Ne pouvant s'accommoder avec son colonel, il quitta le service et se retira en Transylvanie, où il s'adonna uniquement à l'étude pour acquérir les connaissances convenables à un gentilhomme.

Il a été en France pendant un an, et il a été aussi plusieurs fois à la cour de Vienne. Dans ses voyages, il a été connu du prince Albert de Saxe, qui a des bontés particulières pour lui. M. de Aladar les a surtout éprouvées lorsque ce prince fit un voyage en Transylvanie. Sur les rapports que m'a faits cet officier étranger, je pourrais dire bien d'autres choses, mais qu'il ne me convient pas de confier au papier à une distance aussi grande ; d'ailleurs, elles se développeront en Europe comme ici, en vérifiant les premières circonstances dont je crois devoir un compte exact d'après tout ce que M. de Aladar m'a dit; car c'est toujours lui qui parle dans ces notes que je rédige, autant

que je peux, de mémoire sur tout ce que j'ai pu conserver de ses propres paroles.

Il était à la Diète lorsque le prince Poniatowsky fut élu roi de Pologne. Par une suite naturelle du parti qu'il professait dans cette assemblée, il s'est trouvé dans la confédération qui s'est élevée contre ce qui en est résulté. Il a été fait général régimentaire dans cette confédération et le prince Albert l'a décoré de l'ordre de l'Aigle Blanc.

Il commandait un corps de troupes assez considérable en Podolie, où, après plusieurs escarmouches, malgré sa résistance, et quoique dans les premières occasions il n'ait pas été battu, la supériorité des ennemis l'obligeait toujours de se retirer et de perdre du terrain. Enfin, étant sur les frontières de la Podolie et de la Valachie, sous un petit fort, il fut attaqué en même temps par un corps considérable de Russes et, d'un autre côté, par un fort détachement des troupes du roi de Pologne. Il y fut battu, blessé et fait prisonnier. Il fut conduit à Kiow et de là à Casan. Jusque-là il avait été traité avec beaucoup d'égards et d'humanité ; mais, sur des nouvelles qu'il reçut à Casan, ayant osé lui-même se rendre à Moscou ou à Pétersbourg, et ses intelligences ayant été soupçonnées ou découvertes, il fut arrêté et transféré, les fers aux pieds, avec la plus grande dureté, de prison en prison, jusques aux frontières de Sibérie. Il a été traîné dans toute l'étendue de cette province immense jusques au port d'Ockow (1).

J'ai oublié de dire qu'avant d'être conduit à Kiow et à Casan, il avait été enfermé immédiatement après son combat dans la citadelle de Kaluga, où il avait trouvé l'évêque de Cracovie aussi prisonnier. (Cet événement ne vient qu'après qu'il a été arrêté à Moscou ou à Pétersbourg, je ne suis pas assuré dans laquelle de ces deux villes.) Lié d'intérêt, de sentiments et même de connaissance avec cet évêque, ils avaient formé le complot de s'échapper et vraisemblablement ils eussent réussi, sans les incertitudes et la faiblesse de ce prélat, puisque le colonel commandant à Kaluga était entré lui-même dans le complot. Ce colonel s'est sauvé et est passé en Pologne au service des confédérés. L'évêque et le baron furent conduits en même temps en Sibérie, et comme leurs voitures se trouvaient quelquefois l'une à côté de l'autre, cela leur donnait occasion de s'entre-

(1) Okhotsk.

tenir, et ils en profitèrent pour établir une correspondance entre eux deux, qui n'a presque jamais été interrompue et qui avait subsisté depuis leur rencontre dans la forteresse de Kaluga. L'évêque fut conduit à l'extrémité septentrionale du pays de Kamtschatka, sur les frontières du pays des Korakis, et le baron fut transporté, comme je l'ai dit plus haut, à Ockow. Un petit bâtiment l'attendait là, et il fut embarqué pour aller à Kamtschatka. Il y fut enfermé dans une forteresse. Mais comme les Russes mêmes qui sont dans ce pays-là y sont malgré eux, il ne fut pas difficile à M. de Aladar de s'y faire des partisans. Enfin, un jour, la saison étant favorable pour se mettre en mer, y ayant d'ailleurs trois bâtiments dans la rivière, le baron se rendit maître de la forteresse, égorgea tout ce qui n'était pas de son parti et qui pouvait lui faire résistance. Il y resta trois jours enfermé, sans que l'on sût au dehors ce qui s'y était passé. Il employa ce temps à s'approvisionner de munitions de guerre et de bouche nécessaires pour l'exécution de son dessein. Après les avoir rassemblées, il s'empara d'un des trois bâtiments qui étaient dans la rivière et dont le capitaine consentit à suivre son sort. Il coula bas les deux autres afin qu'on ne pût pas le poursuivre. Il partit, lui quatre-vingt-troisième, de Kamtschatka, sans trouver aucune opposition. Il sortit de la rivière et fit route au sud en prolongeant la côte occidentale. Quand il fut rendu à la pointe la plus méridionale de Kamtschatka, il l'arrondit et fit ensuite route au nord-est, son premier projet étant d'aller attaquer la côte occidentale de l'Amérique et, en la rangeant successivement, de se rendre jusqu'à Acapulco.

Il rencontra dans sa navigation plusieurs îles ; il eut même connaissance de la terre ferme ; mais différents événements le forcèrent de revenir à l'ouest. Il y a une circonstance dont la place serait ici ; mais il vaut mieux que le baron ou moi la développions verbalement, que d'en hasarder le secret. Il aborda au Japon et à quelques îles voisines : il y fut différemment reçu, suivant les caractères différents des nations. Il vint aussi à Formose, et enfin il dirigea sa route vers les Manilles ou Philippines. Un coup de vent forcé l'empêcha d'y aborder et le contraignit de faire route vers la Chine. Il vint à Macao ; il y fut très bien reçu du gouverneur portugais et il donna avis de son arrivée au comptoir français de Canton. En même temps il réclama la protection du roy et se mit sous le pavillon français. M. le chevalier de Robien, chef de ce comptoir, eut égard à sa réclamation.

Les Hollandais et les Anglais voulaient attirer M. de Aladar sur leurs vaisseaux et lui proposèrent de le ramener en Europe. Il s'y refusa constamment. Les Anglais y mirent de l'obstination, au point que quatre de leurs navires vinrent devant Macao avec pavillon blanc, dans l'espérance que M. de Aladar s'y rendrait. Il avait eu une entrevue avec M. le chevalier de Robien, dans laquelle ils étaient convenus d'un signal particulier. Cela le préserva de donner dans le piège qu'on lui tendait. M. Dumont m'a confirmé ce fait. Enfin le baron s'est embarqué avec tout son monde, réduit au nombre de quarante-sept personnes, sur les deux vaisseaux *le Dauphin* et *le Laverdy*, et ils sont arrivés à l'île de France le 16 et le 18 de ce mois.

Il s'est passé à Macao un événement qui mérite d'être rapporté, mais qui ne peut être développé qu'en Europe. Une jeune fille de onze à douze ans, laquelle était avec M. de Aladar, mourut à Macao. Le baron voulut qu'elle fût enterrée solennellement dans la première place de l'église et il fit graver quelques lettres initiales sur sa tombe. Cette aventure a fait tenir beaucoup de propos, surtout par les Anglais, car M. Russell m'a dit dernièrement que c'était une femme jeune et belle déguisée en prêtre, et dont on avait reconnu le sexe en l'ensevelissant. Il paraît constant néanmoins, et le P. Surida, dominicain espagnol, m'a encore assuré hier que c'était une enfant qu'il a toujours vue vêtue suivant son sexe.

Parmi les gens qui accompagnent cet officier hongrois, il y en a un qui n'est pas de bonne volonté. C'est un secrétaire de l'impératrice de Russie, qu'il a arrêté, lorsqu'il s'est emparé de la forteresse de Kamtschatka, et dont il a saisi tous les papiers, entre autres une pièce originale qui est de la dernière importance. Il la porte lui-même en Europe, mais il m'en laissera une copie, afin qu'aucun événement ne puisse, s'il est possible, en dérober la connaissance. La femme qui est venue dans l'île de France avec le baron est veuve du capitaine qui commandait le bâtiment de Kamtschatka et qui s'était livré volontairement à la fortune de M. de Aladar. Ce capitaine est mort à Macao et le baron a cru devoir regarder cette femme comme sa sœur ou sa fille. On soupçonne même qu'il est allé plus loin, et cela peut être, quoique la veuve ne soit fort jeune ni jolie. Quoi qu'il en soit, elle vit fort retirée chez moi dans sa chambre, d'où elle ne sort point, et M. de Aladar n'a vis-à-vis d'elle que l'air de ce qu'il dit.

Cet étranger est couvert de blessures, dont quelques-unes le défigurent dans son corps et l'embarrassent dans sa marche. Il a conservé malgré cela un grand air de santé et de vigueur : il est d'une physionomie agréable et qui pétille d'esprit ; mais il est encore plus sage et plus réservé, parlant volontiers, mais ne traitant jamais les choses sur lesquelles il ne veut pas s'expliquer et ne disant que ce qu'il veut dire. Je le crois naturellement fier et impérieux ; mais quand il a donné sa confiance, il est de la plus grande honnêteté. J'ai lieu de croire qu'il m'a ouvert toute son âme uniquement parce que je suis l'homme du Roy. Depuis qu'il a pris ce parti-là, il paraît devoir faire chaque jour quelque chose pour le chevalier Des Roches. Il a effleuré toutes les sciences, et les notions les plus étrangères à son premier état lui ont souvent été utiles dans les événements singuliers de sa vie.

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

A l'île de France, le 20 mars 1772.

Le chevalier DES ROCHES.

---

ARCHIVES DU MINISTÈRE DES COLONIES. FONDS MADAGASCAR.
C5, CARTON 3.

*Le comte de Boynes, ministre de la marine, à M. le duc d'Aiguillon.*

Versailles, le 30 juin 1772.

J'ai l'honneur, Monsieur le duc, de vous envoyer l'extrait d'une lettre que M. de la Vigne-Buisson, commandant du port de Lorient, a reçue du sieur          officier sur le vaisseau *le Dauphin*, au sujet des officiers et soldats hongrois, qui ont réclamé à Macao la protection de la nation, au nom de l'Impératrice-Reine, et que M. le chevalier Roth a déjà annoncé avoir recueillis sur son vaisseau pour leur procurer leur retour en Europe. Ce vaisseau est attendu incessamment à Lorient, et je ne puis m'en rapporter qu'aux mesures que vous jugerez à propos de prendre pour la subsistance et les secours dont ils auront besoin pour se rendre dans leur patrie.

J'ai l'honneur d'être, etc.

---

Archives du ministère des colonies. Fonds Madagascar. $C^5$, carton 3

*Le duc d'Aiguillon à M. de Boynes.*

A Compiègne, le 9 juillet 1772.

J'ai reçu, Monsieur, l'extrait que vous me fîtes l'honneur de m'adresser le 30 du mois dernier d'une lettre d'un officier du vaisseau *le Dauphin*, au sujet des officiers et soldats hongrois et polonais qui, s'étant échappés des déserts de la Sibérie par le Kamtschatka, ont été recueillis à Macao par M. le chevalier de Rothe et embarqués sur ce bâtiment, qui est attendu incessamment à Lorient. J'ai pris des mesures, Monsieur, pour assurer jusqu'à nouvel ordre le logement et l'entretien de cette petite troupe, en écrivant à M. le comte de Grave, commandant en Bretagne, de la faire établir dans cette place, et de faire pourvoir à sa subsistance journalière, sous la police d'un commissaire des guerres qui en formera un état pour servir de revue. Dès que cet état me sera parvenu, je ferai passer au Port-Louis les fonds nécessaires pour cette partie de dépense, de ceux du service des affaires étrangères.

Quand il vous parviendra, Monsieur, quelques particularités ou détails historiques du voyage et de la traversée de ces étrangers, je vous serai fort obligé de m'en faire part.

J'ai l'honneur d'être, etc.

---

Archives du ministère des colonies. Fonds Madagascar. $C^5$, carton 3

*Rapport sur l'expédition de Madagascar.*

30 décembre 1772.

Sa Majesté a eu la bonté d'approuver qu'on fournît les secours nécessaires au baron de Benyowsky, Hongrois d'origine et ci-devant colonel au service de la Confédération de Pologne, qui a réclamé en Chine le pavillon de Sa Majesté, et qui est arrivé en France sur le vaisseau *le Dauphin*, avec trois autres officiers et plusieurs soldats qui s'étaient embarqués avec lui au Kamtschatka.

